BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. 2 70 8
Pl.

St. Albert's College Library

£93.
etd.
300

INTRODUCTIO

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/introductiogener0000pcar

INTRODUCTIO

GENERALIS

AD

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

CRITICE TRACTANDAM

AUCTORE

P. Carolo DE SMEDT

IN COLLEGIO THEOLOGICO SOCIETATIS JESU LOVANIENSI
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSORE.

St. Albert's College Library
Property of
CGSA.
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Gandavi

EXCUDEBAT C. POELMAN, TYPOGRAPHUS ILL^mi EPISCOPI.

Lovanii — C. FONTEYN. | **Parisiis** — V. PALMÉ.

1876.

APPROBATIO.

Librum cui titulus « Introductio generalis ad Historiam Ecclesiasticam, » auctore Carolo De Smedt Societatis Jesu presbytero, debite examinatum et approbatum, typis vulgari libenter permittimus.

P. GOETHALS S. J.
Præp. Prov. Belg.

Bruxellis Kal. Jan. 1876.

IMPRIMATUR.

Gandæ, 6 *Martii* 1876.

† HENRIC. *Episc. Gandav.*

Præstita sunt quæ lege civili præscribuntur ut sua jura integra serventur auctori.

BENEVOLO LECTORI AUCTOR

S. P. D.

Ubi primum ante hos duodecim fere annos docendi historiam ecclesiasticam provincia a superioribus meis mihi commissa fuit, hoc duplex consilium firma mente concepi ac deinde, Deo juvante, constanter prosecutus sum : alterum, ut in singulis quæstionibus inter eruditos olim vel etiamnum controversis quænam diversæ opiniones propositæ fuerint, quænam documenta et rationes prolata ad singulas tuendas vel impugnandas, quatenus denique hoc nostro tempore veritas videatur eliquata, pro virili parte integre et distincte auditoribus meis exponerem; alterum, ut doctrina et exemplo eorumdem animos

Acc. 11886

genuina historicas quæstiones perscrutandi methodo alte imbuerem, cujus summa in eo versatur ut historicæ scientiæ curiosus investigator, solo veritatis studio ductus, ex propriis illius scientiæ fontibus eam haurire atque aliis communicare indefesse satagat. Hac sola ratione me officio meo satisfacere posse arbitrabar, et apud viros ætate ac ingenio maturos disciplinam, cui promovendæ incumbendum mihi erat, commendare sperabam. Nec mea me spes fefellit. Non pauci enim cum grati animi significatione mihi testati sunt se inde et multum profecisse et ad historicas disciplinas quum antea minus bene affecti essent, se vehementer sensisse allectos. Iidem sæpe et instanter a me postularunt ut quas maxima, ut aiebant, jucunditate et utilitate audiverant vel legerant dissertationes, typis edere ne morarer. Equidem maluissem longe eas nonum *etiamnum* premere in annum : *minime enim me fugit quantum perpoliri indigeant. Amicorum tamen, utinam non nimis benevolorum, suasionibus tandem parendum duxi, ne diutius repugnando modestiæ minus quam inertiæ et subtilioris cujusdam superbiæ sensui obtemperare*

viderer; quum præsertim recogitarem non doctis destinari opus meum, sed iis qui docti fieri volunt primosque in via quæ ad scientiam *historicam ducit gressus ponunt. His itaque, qui non adeo omnibus numeris perfectum, sed quo tute ac secure niti possint, requirunt subsidium, hanc primo* Introductionem generalem *proponere ausus sum, qua iter apte sterni ad quæstiones speciales penitius investigandas, aliqua jam experientia comprobatum mihi est. Sequentur mox edendæ* Dissertationes selectæ *in ecclesiasticæ historiæ ætates sex, totidem tomis : quibus singulis præmittetur* Introductio specialis, *ubi fontes ad uniuscujusque ætatis notitiam adhibendi aperientur distinctius et eorum momentum accuratius perpendetur. Hæc omnia autem sub ea forma evulgare coactus fui qua in prælectionibus meis proponendis usus sum : neque enim per otium licuit elegantiori, si quo valeam, stylo illa retractare.*

Jam, quod ad præsentem Introductionem generalem *spectat, in tanta rerum silva, quantam plurima ejus capita exhibent, colligenda et disponenda, non plurimas subinde admissas esse lacunas, vix sperari*

potest. Quas qui notaverint (1), *gratum certe mihi facient si supplenda benigne mecum voluerint communicare. Huic enim volumini supplementum earum quas ipse notavi subjungendum non censui, ne et hoc ipsum nimis incompletum appareat; editurus postea, ubi illud magis integre concinnatum proferre potero. Menda typographica vero pauca omnino repertum iri asserere ausim, quippe quum singulæ paginæ semel et iterum, postquam e prelo exiissent, a quodam e fratribus meis, in cujus diligentia mihi prorsus acquiescere licet, recognitæ sint. Aliqua tamen scriptorum nomina, quæ ipse minus distincte in chartis typographo traditis exscripseram, perperam typis expressa nec emendata adverti* (2). *Per inconsiderantiam quoque meam alii quidam nævi irrepserunt* (3).

(1) Meminisse tamen lectores rogo quod non semel de fontibus et subsidiis agens monui, me scilicet in hac introductione generali comprehendere noluisse ea documenta et scripta quæ singularem tantum ætatem et speciatim quæ recentiorem, ab extremo seculo XV decurrentem, attingunt.

(2) Sic pag. 292, Rondetti pro Ronchetti; pag. 325, Rister pro Ritter et Grezigerus pro Prezigerus; pag. 422, Leroux de Liney pro Leroux de Lincy.

(3) Ita pag. 219. not. 7 remittitur ad dissertationem Dodwelli de PP. RR. successione (in ejus editione operum Pearsonii), cujus dissertationis mentio

Unum monendum restat. Equidem fere diligenter indicavi quænam a me ex antiquioribus scriptoribus excerpta sint. Fieri tamen utique potest ut quod apud illos non raro ipse deprehendi, id etiam apud me ab aliis deprehendatur, integras nimirum aliquando sententias quæ in ipsorum libris leguntur, et in hoc meo legi totidem verbis, non indicato primo auctore. Quum enim, dum hæc primum scriberem, nequaquam cogitarem ea umquam fore typis mandanda, non adeo tunc sollicitus fui ut quæ apud alios passim optime enuntiata reperissem in codices meos transferens, vel accurate indicarem quis ea ante me protulerit, vel mutatis paululum verbis aliquatenus mea facerem. Id viri docti facile condonabunt : quos neque succensuros mihi confido, quod austeram illam faciem, quæ non raro tirones ab eruditis libris deterrere solet, specie aliqua et varietate typorum nonnihil

in præcedenti aliqua nota a me suppressa fuerat; pag. 418 pro Tiraboschi, *Memorie storiche Modenesi, col codice diplomatico.* Mod. 1791-94. 5 vol. 4 (jam citatis pag. 290) indicata est ejusdem *Biblioteca Modenese,* ad historiam litterariam spectans; pag. 421 med. omissa est mentio novæ editionis *Scriptorum rerum Francicarum,* curante cl. v. L. Delisle, cujus jam decem primi tomi et præterea tomus XIII vulgati sunt.

temperare conatus sum. Ceterum eos rogo, si qui lucubrationem meam perlustrare dignabuntur, ut severos se potius quam indulgentes in illa dijudicanda exhibeant, ita se melius et de me, et de auditoribus ac lectoribus meis, et de ipsa scientia merituros rati, et certe debitas mihi reddituri vices, quippe qui a catholicis scriptoribus edita severe discutere solitus sim et sæpe queri quod nimia indulgentia in hac re a multis peccetur, haud modico sane ecclesiasticæ scientiæ et nostræ apud alienos existimationis detrimento.

Hæc pauca præfari visum est. Quæ autem contineat liber, subjunctus capitum index facile docebit. Vale.

Scribebam Lovanii, die Dominicæ Circumcisionis memoria sacro, Kalendis Januariis anno millesimo octingentesimo septuagesimo sexto.

INDEX CAPITUM.

Pag.

TRACTATIO I. — De præcipuis regulis artis criticæ 1
CAPUT I. — De arte critica et fontibus historicis generatim . . . »
CAPUT II. — De documentis scriptis 9
ART. I. — De discretione documentorum genuinorum. 10
§ 1. De suppositionis et adulterationum causis . . . . . »
§ 2. Quibusnam indiciis de scriptorum authentia judicandum sit. 14
ART. II. — De recta interpretatione testimoniorum 18
ART. III. — De auctoritate testium 19
ART. IV. — De vi argumenti negativi 29
ART. V. — Quid præstandum sit ubi adsunt testimonia contradictoria 32
CAPUT III. — De auctoritate traditionis oralis 34
CAPUT IV. — De monumentis non scriptis 39
CAPUT V. — De rationibus ex natura factorum petitis et de inductione vel conjectura 41
TRACTATIO II. — De historiæ ecclesiasticæ partitione 51
ART. I. — De partitione secundum ordinem temporum . . . . »
ART. II. — De partitione rerum quæ in singulis ætatibus considerandæ sunt 55
TRACTATIO III. — De fontibus historiæ ecclesiasticæ. 65
CAPUT I. — De documentis ad historiam ecclesiæ universalis pertinentibus 67
ART. I. — De documentis publicis. . . . . »
ART. II. — De scriptoribus historiæ ecclesiasticæ 77
§ 1. De scriptoribus historicis græcis. . . . . »
§ 2. De aliis scriptoribus historicis orientalibus 79
§ 3. De scriptoribus historicis occidentalibus. 81
ART. III. — De scriptis ecclesiasticis varii argumenti. 96
§ 1. De catalogis scriptorum ecclesiasticorum et scriptis adversus omnes hæreses 97
§ 2. De collectionibus scriptorum ecclesiasticorum 101
CAPUT II. — De documentis circa historias Sanctorum 111
ART. I. — De actis martyrum et vitis sanctorum 112
§ 1. Conspectus generalis circa acta martyrum qui ante Constantinum M. Imp. passi sunt . . . . . »
§ 2. Conspectus generalis circa acta martyrum et vitas confessorum posterioris ætatis 120
§ 3. De collectionibus hagiologicis. 122
ART. II. — De martyrologiis 127

Pag.

ART. III. — De legendis Sanctorum in Breviario Romano . . . 156

ART. IV. — De collectionibus ecclesiasticis circa Sanctos apud Græcos et ceteros Orientales 193

CAPUT III. — De documentis circa historiam Romanorum Pontificum 198

ART. I. — De antiquis catalogis Romanorum Pontificum. . . . 199

§ 1. De catalogis græcis et aliis orientalibus . . . . . »

§ 2. De Catalogo Liberiano et utroque documento hagiologico illi adnexo 202

§ 3. De aliis catalogis latinis sec. IV et V 216

§ 4. De catalogis latinis sec. VI. 217

§ 5. De catalogis latinis sec. VII 219

ART. II. — De Libro Pontificali 220

§ 1. De auctoribus Libri Pontificalis 221

§ 2. De auctoritate Libri Pontificalis. 225

§ 3. De Libri Pontificalis editionibus recentioribus. 229

§ 4. De aliis documentis circa historiam Romanorum Pontificum usque ad extr. sec. IX. 231

ART. III. — De fontibus historiæ RR. PP. extr. sec. IX recentiorum 235

§ 1. De scriptis circa historiam RR. PP. ab extr. sec. IX usque ad S. Leonem IX (an. 1049) . . . . . »

§ 2. De scriptis circa historiam Leonis IX et successorum ejus usque ad finem seculi XI 237

§ 3. De scriptis circa historiam RR. PP. sec. XII 250

§ 4 (5). De scriptis circa historiam RR. PP. sec. XIII. . . . 264

§ 5 (6). De scriptis circa historiam RR. PP. sec. XIV et XV ineuntis 276

CAPUT IV. — De documentis circa historiam ecclesiarum particularium 282

ART. I. — Documenta circa ecclesias Orientales et Africanas . . 284

ART. II. — Documenta circa ecclesias Italiæ et insularum adjacentium. 285

ART. III. — Documenta circa ecclesias Istriæ, Illyrici, Dalmatiæ et Turcograeciæ 297

ART. IV. — Documenta circa ecclesias Hispaniæ 298

ART. V. — Documenta circa ecclesias Lusitaniæ 303

ART. VI. — Documenta circa ecclesias Galliæ (Franciæ). . . . 304

ART. VII. — Documenta circa ecclesias Belgii et Bataviæ . . . 316

ART. VIII. — Documenta circa ecclesias Germaniæ et Helvetiæ. 319

ART. IX. — Documenta circa ecclesias Hungariæ 331

ART. X. — Documenta circa ecclesias Poloniæ, Lithuaniæ, Livoniæ et Curlandiæ. 332

Pag.
Art. XI. — Documenta circa ecclesias Daniæ, Mecklemburgi et Bremensem ac Lubicensem 334
Art. XII. — Documenta circa ecclesias Scandinaviæ. 336
Art. XIII. — Documenta circa ecclesias Angliæ, Scotiæ et Hiberniæ 337
§ 1. Documenta circa ecclesias Britanniæ generatim, et speciatim Angliæ . . . . . »
§ 2. Documenta circa ecclesias Scotiæ 342
§ 3. Documenta circa ecclesias Hiberniæ 344
CAPUT V. — De documentis et scriptis circa historiam monasticam. 347
Art. I. — Documenta circa historiam monasticam universam. . 348
Art. II. — Documenta circa historiam ordinis S. Benedicti . . 354
Art. III. — Documenta circa ordines Cluniacensem, Cisterciensem, etc 358
Art. IV. — Documenta circa Canonicos regulares et varias eorum congregationes, ac speciatim circa Præmonstratenses. . . . 365
Art. V. — Documenta circa ordinem Carmelitarum 369
Art. VI. — Documenta circa ordinem S. Dominici seu Fratrum Prædicatorum. 373
Art. VII. — Documenta circa ordinem S. Francisci seu Fratrum Minorum 375
Art. VIII. — Documenta circa ordinem Eremitarum S. Augustini. 379
Art. IX. — Documenta circa ordines SS. Trinitatis, B. Mariæ de Mercede et Pontificum. 381
CAPUT VI. — De monumentis non scriptis et mixtis 383
Art. I. — Tractationes circa archæologiam 334
Art. II. — Collectiones inscriptionum et de re numismatica ac sphragistica 391
§ 1. Collectiones inscriptionum . . . . . »
§ 2. Collectiones ad rem numismaticam spectantes. 398
TRACTATIO IV. — De subsidiis ad historiam ecclesiasticam tractandam juvantibus. 403
CAPUT I. — Collectiones documentorum historiam tam profanam quam sacram attingentium 405
Art. I. — Collectiones documentorum circa historiam imperii Græco-Romani . . . . . »
§ 1. Collectiones scriptorum. . . . . »
§ 2. Monumenta juris civilis Romani. 406
Art. II. — Collectiones documentorum circa historiam gentium occidentalium tempore medii ævi 412
§ 1. Collectiones generales aut miscellaneæ . . . . . »
§ 2. Collectiones documentorum circa historiam Italiæ . . . 417
§ 3. Collectiones documentorum circa historiam Hispaniæ et Lusitaniæ 419

Pag.
§ 4. Collectiones documentorum circa historiam Galliæ (Franciæ). 421
§ 5. Collectiones documentorum circa historiam Belgii et Hollandiæ. 425
§ 6. Collectiones documentorum circa historiam Germaniæ et Helvetiæ 427
§ 7. Collectiones documentorum circa historiam Bohemiæ, Moraviæ, Hungariæ et Transylvaniæ 437
§ 8. Collectiones documentorum circa historiam Angliæ, Scotiæ et Hiberniæ. 438
§ 9. Collectiones documentorum circa historiam regionum septemtrionalium 442
§ 10. Collectiones documentorum circa historiam Russiæ, Poloniæ, Slavoniæ et Serbiæ 443
Art. III. — De catalogis codicum manuscriptorum 444
Art. IV. — De regestis et bibliothecis historicis. 456
CAPUT II. — Recentiorum de historia ecclesiastica scripta . . . 460
Art. I. — Scripta de historia ecclesiastica universa . . . . . »
Art. II. — Scripta circa historiam Summorum Pontificum et S. R. E. Cardinalium 472
Art. III. — Scripta circa historiam Conciliorum 477
Art. IV. — Scripta circa Patres et scriptores ecclesiasticos . . 479
APPENDICES. 483
Appendix C. — Emendata a Clemente VIII et deinde ab Urbano VIII in lectionibus de historiis Sanctorum insertis Breviario Romano . . . . . »
§ 1. Emendata jussu Clementis VIII . . . . . »
§ 2. Emendata jussu Urbani VIII 506
Appendix D. — Catalogus Liberianus et Eortologium Romanum sec. IV 509

TRACTATIO I.

DE PRÆCIPUIS REGULIS ARTIS CRITICÆ.

CAPUT I.

DE ARTE CRITICA ET FONTIBUS HISTORICIS GENERATIM.

—

1. I. Historia definiri potest *scientia rerum præteritarum*. — Non solum, quamvis præcipue, eventuum, sed et institutorum, morum et doctrinarum vel opinionum.

2. Quatenus habet rationem *scientiæ*, supponit cognitionem, non quamlibet, sed (quæ pars formalis scientiæ historicæ dici potest) haustam ex principiis seu argumentis sibi propriis, unde mens recta et prudens primo adduci possit ad asserendas conclusiones quibus illa constat, et deinde reflexe percipere quam certæ sint eæ conclusiones.

3. Quum autem sit scientia *factorum præteritorum*, certitudo ipsi propria est per se *certitudo moralis*, quæ quidem contrarii prudentem formidinem, non tamen

possibilitatem omnem excludat. Hæc certitudo autem, quod satis manifestum est, multos gradus habet, ab eo qui prudens dubium vix excludat usque ad illum qui apud mentem sanam, seu non omnino scepticam aut præjudiciis obcæcatam, etiam dubio imprudenti locum non relinquat. Sæpe etiam (quod passim occurrit in omnibus scientiis præter mathematicas) certitudo proprie dicta circa solutionem alicujus particularis quæstionis attingi non poterit, sed sistendum erit intra limites probabilitatis. Ex alia parte tamen vera certitudo moralis non raro oriri potest ex complexu argumentorum quorum singula probabilem tantum, non necessariam, rationem ad asserendam conclusionem præbent (1).

4. Porro ad complementum scientiæ historicæ pertinet nosse causas et effectus eventuum, aliasque eorum relationes sive inter se sive cum principiis juris aut alterius cujusvis scientiæ practicæ, necnon argumenta quæ ex iis pro veritatibus alterius ordinis vel contra eas deduci possunt. Hæc pars, seu potius complementum scientiæ historicæ, quæ in determinandis istis relationibus versatur, speciali nomine *historia philosophica* seu *philosophia historiæ* vocari solet.

5. II. Ars critica, quatenus ad scientiam historicam pertinet, breviter definiri potest « ars recte dijudicandi veritatem eorum quæ monumenta, quibus

(1) De his paulo fusius egi in Periodico *Etudes religieuses*, etc. 4e série, Tom. III. p. 698-705.

præteritarum rerum memoria servatur, perlegenti obversantur. » Complectitur itaque regulas quibus mentem in his judiciis efformandis dirigi oportet. Quæ quidem regulæ fere e naturali (ut ita dicam) logica non difficili opera eruuntur. Attamen experientia docet multos, affectibus præconceptis magis quam studio veritatis indulgentes, ita solere argumenta opinioni quæ ipsis præ aliis placet faventia exaggerare, ea vero quæ eidem adversantur, non solum aliis, sed et sibi ipsis dissimulare aut elevare, ut illas omnino pervertere videantur. A quo periculo etiam iis semper cavendum est, qui æquiori et prudentiori gressu incedere consueverunt. Vix autem quidquam sine harum regularum subsidio in scientia historica possunt proficere qui non ita jam in ea versati sunt ut illas ipso usu sibi familiares fecerint (1). Non itaque abs re erit nonnullas præcipuas hic memorare, quo ad earum normam argumenta quæ in variis quæstionibus historicis hinc inde afferuntur exigentes, facilius ac tutius de his judicium proferre possimus.

6. III. Duplici medio utitur scientia historica ad assequendam certitudinem sibi propriam. Primum et præcipuum est *auctoritas*, testimoniorum scilicet et indiciorum quibus facta directe et immediate asseruntur. Alterum constituunt rationes *ex ipsa factorum natura* petitæ ad eorum veritatem confirmandam vel impugnandam, et *inductio* vel *conjectura*, qua ex factis

(1) Cfr. ibid. p. 695-698.

notis et admissis alia deducuntur, quæ nullo modo aut non satis diserte per auctoritatem tradita sunt.

7. Fontes historici dicuntur monumenta quibus nobis innotescit veterum auctoritas circa facta præterita, aut quæ horum factorum aliqua vestigia nobis exhibent. Triplex præcipue genus fontium distingui potest, quorum primum constituunt *documenta scripta;* alterum dicitur *traditio,* sive simpliciter sive addito epitheto *oralis* vel *popularis* aut *vulgaris;* tertium denique complectitur *monumenta* proprie dicta, velut ædificia, numismata et ceteras hujusmodi res materiales a veteribus confectas aut adhibitas, quorum quædam etiam *mixta* dici possunt, ubi scilicet aliquid litterarum incisum vel insculptum est. Hæc tamen, quatenus nonnulla verbis concepta exhibent, documentis scriptis, quatenus vero certa materia et forma seu figura constant, monumentis non scriptis adnumerare potius videtur. Inter monumenta mixta, præcipuum quemdam locum obtinent codices manuscripti, qui vetera documenta nobis servarunt.

8. Ex dictis hactenus hæc jam ad rem nostram concludere licet :

1° Ad assequendam *scientiam* historicam circa facta quædam, maximi interest probe nosse et, quantum fieri potest, attente perlegisse omnes fontes unde quædam circa ea notitiæ hauriri possunt. Neque enim vel mediocriter peritos latet quanta incommoda consequantur ex illiusmodi conditionis defectu, non solum

quoad historiam criticam, quæ versatur in statuendo quid circa singula vere asseri possit, sed etiam, imo et præcipue, quoad philosophiam historiæ, quæ eorumdem connexionem mutuam et altiorem interpretationem reperire et manifestare intendit.

2° Fontibus autem accensendi non sunt scriptores recentiores, qui ex documentis et monumentis *adhuc exstantibus* et quæ nobis etiam præsto sunt, historiam quorumdam temporum vel eventuum conscripserunt. Utilissimum quidem est, imo vix non necessarium scientiæ historicæ studioso, eam quoque eruditionis partem assequi quæ illorum scriptorum elucubrationibus noscendis continetur : tum ut quæ ab ipsis diligenti investigatione et collatione fontium illustrata sunt, ipse jam facili labore perspiciat nec eadem rursus cum temporis et operæ jactura exagitet; tum ut viam in quavis inquisitione historica sequendam ipse recte tenere addiscat, et ex ipsis prædecessorum suorum instruatur erroribus. At numquam propter auctoritatem illorum, quamvis magni sint nominis (supponimus scilicet semper nos cum eo agere qui *scientiam* historicam vult consequi), sententias quas secuti sunt ipse tamquam certas admittet, sed solummodo ob vim testimoniorum et argumentorum quibus eas confirmarunt. Neque etiam dubitabit, si hæc non satis efficacia repererit, id candide profiteri, caute tamen et modeste, præsertim si novam quamdam opinionem proponendam putaverit.

3° Cavebit etiam sedulo ne *a priori* seu ex argu-

mentis alterius ordinis, qui ad scientiam historicam non pertinet, factum aliquod tamquam *historice certum* asserat. Fieri enim potest ut res facti, quæ per revelationem divinam, verbi gratia, et doctrinam catholicam omnino ut certa tenenda est, ob inopiam tamen aut jacturam vel ignorantiam documentorum historice demonstrari aut probari nequeat, vel etiam, absolute loquendo, positive improbabilis appareat. Illud tamen *a priori* affirmare licet, numquam id eventurum circa criteria fundamentalia et absoluta religionis revelatæ, seu ea facta quæ divinam catholicæ doctrinæ revelationem et Ecclesiæ institutionem evidenter credibilem et omnino admittendam cuilibet menti prudenti et bene dispositæ exhibent : ad providentiam divinam etenim pertinet ut id omnino caveatur. Itaque, casu isto impossibili seposito, si aliqua contradictio appareat inter veritatem revelatam (aut aliunde omnino certam) et factum ex fontibus historicis probabiliter vel (quod tamen hactenus non contigit) morali evidentia demonstratum, mens prudens rationem inquiret apparentem contradictionem tollendi; si nequeat, veritati revelatæ firmissime adhærebit et judicium circa veritatem aut significationem facti allati suspendet, non tamen adducetur ut vim testimoniorum aut argumentorum contra rei evidentiam neget aut sibi dissimulet.

4° Qui has regulas rite observare volet, omnino oportere liquet ut studia historica aggrediatur et prosequatur sincero et ardenti *amore veritatis* ductus. In qua re, quod pertinet ad historiam ecclesiasticam,

peccandi periculo obnoxii sunt, non solum, quamvis maxime, ii qui veram Ecclesiam cæco odio impugnant (nihil enim rectitudinem mentis et judicii magis impedit quam injustum odium), sed etiam ii qui, teneræ erga eam pietatis affectu pleni, in rebus historicis addiscendis vel conscribendis patronorum potius quam veritatis inquisitorum personam induunt : unde, sicut solent patroni, quidquid causæ quam defendendam susceperunt, aliquid subsidii afferre videtur, ultra omnem modum verbis exaggerare, quidquid autem vel minimum adversari existimant, dissimulare aut obtegere aut pernegare consueverunt. Qua ratione agendi quantum pietatem et ipsam religionem catholicam exponant irrisioni inimicorum et contemptui indifferentium, ut vocant; quamque timendum sit ne illi quos primo, audacter magis quam sapienter multa asserendo aut negando, ad Ecclesiam amore et laudibus prosequendam induxisse sibi videbantur, magis vera deinde circa quædam facta ex fontibus historicis vel ab Ecclesiæ adversariis edocti, se deceptos querantur, et iniqua quidem, sed nimis naturali animi conversione, totam doctrinam catholicam non solidioribus niti fundamentis quam pauca illa quæ non recte ipsis proposita fuerant arbitrantes, amorem jam in odium vertant : hæc, inquam, a quibusdam non perspici, non possum non vehementer mirari (1). Sit itaque præcipuum quoddam studium nostrum in quæstionibus historicis

(1) Hæc etiam paulo fusius tractavi in Periodico *Etudes religieuses*, etc. Tom. cit. p. 222-240.

tractandis, ne quid leviter et ex affectu extrinseco ac opinione præconcepta magis quam ex amore veritatis et prudenti judicio affirmemus, nec in statuenda veritate factorum humanorum (non agimus scilicet de supernaturalibus : ad hæc enim recte dijudicanda plerumque lumine fidei opus est) quidquam præfracte ut certum propugnemus quod vir recti animi, nulli religioni positivæ addictus nec tamen Ecclesiam ullo odio prosequens aut positive contemnens, ex naturali prudentia et argumentis propositis concedere non cogeretur, neque nos ipsi concederemus, si res illa Ecclesiæ existimationi aliquid detrimenti afferre videretur.

Jam de singulis fontibus speciatim.

CAPUT II.

DE DOCUMENTIS SCRIPTIS.

1. Documenta hæc alia sunt *publica,* alia *privata.* Documenta *publica* appellamus ea quæ publice, seu totius cujusdam societatis aut auctoritatis qua regitur nomine, pro causa publica conficiuntur, vel a privatis confecta per auctoritatem publicam ita approbantur ut hæc voluisse illorum testimonia sua facere videri possit : qualia sunt decreta et epistolæ Summorum Pontificum et episcoporum pro officii sui munere scripta, acta Conciliorum, libri liturgici; item leges, constitutiones et diplomata Principum civilium; inscriptiones etiam publica auctoritate positæ vel nummis ac numismatibus incisæ. *Privata* autem stricto sensu ea sunt quæ ab hominibus privatis, nullatenus interveniente auctoritate publica, conscripta sunt : qualia sunt epistolæ et libri a doctis editi. Intermedium quoddam genus constituunt, ad publica tamen potius quam ad privata accensenda, documenta illa quæ pro rebus privatis, sed interveniente et confirmante auctoritate pu-

blica, conficiuntur, ut testamenta et chartæ contractuum legali solemnitate vestita.

2. Ut autem documentum aliquod vel testimonium scriptum præbere possit fundamentum omni ex parte solidum conclusioni certæ circa rem facti, tria requiruntur : 1° ut authenticum sit, integrum et non interpolatum; 2° ut recte definiatur genuina ejus interpretatio; denique 3° ut prudenter fides testi adhiberi possit. — Quo magis vel minus manifeste hæc tria in testimonio quodam concurrunt, eo major vel minor erit ejus vis probandi. De singulis itaque paulo accuratius agendum.

ARTICULUS I.

DE DISCRETIONE DOCUMENTORUM GENUINORUM.

§ 1. De suppositionis et adulterationum causis.

3. *Authentica* seu *genuina* dicuntur documenta vere ad eos auctores eamque ætatem et regionem pertinentia quibus vulgo adscribuntur; si secus, dicuntur *apocrypha, supposititia* seu *spuria,* idque vel certo vel *dubie*. *Integra* sunt quæ nec *mutilata,* nec *adulterata* aut mendis *corrupta* fuerint. *Non interpolata*, quibus nihil additum aut insertum est quod auctor non scripserit.

4. Non ita pauca habentur documenta spuria sub nomine Patrum aut aliorum illustrium scriptorum

ecclesiasticorum edita. Cujus rei hæ præcipuæ causæ vulgo assignantur (1) :

a. *Hæreticorum malitia,* qui ad errores suos spargendos vel tuendos, scripturas canonicas et SS. Patrum scripta varie adulterarunt vel supposuerunt.

b. *Librariorum* quorumdam malæ *fraudes,* qui lucri gratia homilias, vel commentaria in S. Scripturam, aut alios libros, a se vel ab alio aliquo obscuro homine, ex laciniis plerumque aliorum scriptorum confecta, nobilioris alicujus Patris nomine insignibant; aut etiam quædam, paucis verbis aut periodis ablatis vel mutatis, bis vendebant tamquam diversa diversorum Patrum opera.

c. *Librariorum* etiam *errores* ex imperitia vel negligentia orti, idque variis modis. Non raro scilicet accidit ut α) quum vetustior quidam librarius ob materiam operum non dissimilem diversorum scriptorum libellos eodem copulasset volumine, recentior alius, non reperiens adscriptos titulos aut obliteratos offendens, ei tribueret omnia cujus in fronte voluminis conspexerat nomen. Vel β) alii meris nixi conjecturis, genuinorum auctorum nomen nescientes, vel rationes satis validas ad illud mutandum sese habere existimantes, Patris cujusdam nomen præfigerent. Vel γ) quum auctor aliquis libris a se in formam dialogorum aut alio simili modo scriptis nomina colloquentium indidisset, Cicero-

(1) Cfr. Fessler, *Institutiones Patrologiæ,* Tom. I. § 26. Ubi hæc omnia fusius tractantur et exemplis confirmantur.

nis morem secutus, librarii imperiti postea illa nomina tamquam auctorum inscriberent. Vel δ) titulorum ambiguitas nominumque similitudo causa fuerit cur opera quædam SS. Patribus falso assignarentur.

d. Nonnullorum *scriptorum* quoque *fallacia* et *errores,* elucubrationes suas sub nomine illustrium Patrum venditantium aut Patrum opera perperam citantium, ex iisdem errorum causis quæ modo recensitæ sunt quoad librarios.

e. *Inepta* quorumdam *pietas,* qui arbitrati sunt, se de Ecclesia bene merituros, si monumenta ecclesiastica in gratiam religionis et veritatis supponerent, ipsique libros conscriberent nomine SS. Patrum insignitos, quo facilius sui temporis hæreticos refellerent aut disciplinam vindicarent. Vel etiam qui putarent majorem celebritatem cuidam a se adamato auctori comparatum iri, si multas, præter genuinas, illi lucubrationes attribuerent.

f. Quidam denique opera nonnulla a se conscripta SS. Patribus supposuisse insimulantur nullo alio consilio quam ut alios decipiendo se ipsos recrearent, seque exercerent in stylo Patrum imitando. Sed hæc suppositionis ratio certe rarissima dici debet, præsertim inter antiquos.

5. Mendorum item, mutilationum et interpolationum quæ passim in manuscriptis codicibus occurrunt, quædam facile causæ perspiciuntur. Videlicet

a. Quædam adulterationes attribuendæ sunt imperitiæ, vel negligentiæ *dictantis* aut *legentis* codices

transcribendos, quod litterarum ductus non recte assequeretur et affines figura litteras ductusque similes confuderit, vel quod orthographiam aut antiquiores litteras non satis noverit, vel quod omiserit quæ erant inter eamdem vocem bis aut sæpius brevi intervallo repetitam (ut facile fit, ubi quis dictans subinde oculos a libro amovet), vel etiam quod male pronuntiaret, vel denique quod glossemata in margine aut inter lineas adjecta contextui intulerit.

b. Alia orta sunt a negligentia *scribentis,* quod scriberet quæ cogitaret, non quæ audiret aut legeret, vel quod oscitanter atque inde perperam audiret aut legeret, vel quod verba non apte distingueret, vel quod parentheseos, interrogationis et alia similia signa atque accentus omiserit aut non recte apposuerit.

c. Non paucæ occurrunt in inscriptionibus et codicibus *lacunæ,* ubi litteræ vel ipse lapis aut charta vetustate exesa sunt.

d. Denique et interpolationes vel mutilationes nonnullæ omnino transcribentium *fraudi* attribuendæ sunt, qui sive addendo, sive omittendo, sive aliis modis adulterando antiquorum scripta, eas doctrinas et opiniones vel partes quaslibet, quas ipsi amplexi erant, tueri conati sint.

§ 2. Quibusnam indiciis de scriptorum authentia judicandum sit.

6. Indicia secundum quæ authentica documenta a spuriis, et integra a corruptis discerni possunt, alia *externa* sunt, alia *interna*. Externa e scriptorum veterum aliorumque documentorum auctoritate, interna vero ex ipsius documenti de quo agitur consideratione eliciuntur.

7. Indicia externa hæc præcipue assignari possunt :

1° Si in omnibus codicibus, iisque nec paucis nec ejusdem, ut aiunt, familiæ, uni eidemque auctori opus tribuitur, hoc illius esse judicandum est. Si autem in vetustis codicibus nomen alterius auctoris indicatur, alterius in recentioribus, vetustis generatim fides habenda. Si denique in recentioribus codicibus aliquid reperitur quod in antiquioribus deest, id interpolati documenti indicium est; si contrarium deprehenditur, mutilati.

2° Si scriptores auctori, cujus nomen liber præfert, coævi aut suppares, aut traditio constans, eidem auctori librum adjudicant, id generatim sufficiens authentiæ indicium erit. — Contra vero scripta, tum nomine auctoris tum materia in ipsis tractata haud ignobilia, quorum nulla mentio habetur apud scriptores sequentium proxime seculorum, ut plurimum spuria judicanda sunt aut minimum suspecta (1). Idemque dicendum

(1) Cfr. tamen quæ de vi argumenti negativi dicemus infra Art. IV.

de iis quæ jam ab antiquis tamquam spuria rejecta sunt.

3° Si ex aliquo libro loca quædam a veteribus citata sint eaque eadem in libro ejusdem auctoris et tituli reperiantur, hoc argumento erit ad librum hunc existimandum genuinum; si non reperiantur, aut librum esse mutilum aut suppositum pro veteri deperdito; si immutata legantur, librum esse corruptum.

8. Indicia interna vero ad hæc reducuntur :

1° Multum vulgo confert ad auctoritatem alicui documento conciliandam antiquitas codicum in quibus descriptum reperitur : horum autem notæ apud recentes veterum operum editores accurate jam exhiberi solent. Porro de ætate codicum manuscriptorum sæpe constare potest ex eorum materia (pergamena aut chartacea), ex forma characterum, ex notis abbreviationum, ex modo quo affixum est sigillum, etc. Quænam autem circa hæc omnia variis ætatibus in usu fuerint determinare, est artis specialis, quæ *Palæographia* et *Diplomatica* dicitur (1).

2° Vocabula quædam, formulæ ac modi loquendi ita propria sunt cuidam scriptori vel ævo ut probabilis-

(1) Quam præcipue tractarunt : MONTFAUCON, *Palæographia Græca*. Paris. 1715. fol. — Quoad palæographiam latinam vero : MABILLON, *De re diplomatica*. Paris. 1709. (2ª ed.) cum supplemento RUINART. 1704. fol. — (TOUSTAIN ET TASSIN), *Nouveau Traité de diplomatique*. Paris 1750-65. 6 vol. 4. — NATALIS DE WAILLY, *Eléments de Paléographie*. Paris 1838. 2 vol. 4. — QUANTIN, *Dictionnaire de diplomatique chrétienne* (*Encycl. théol. Migne*). CHASSANT, *Paléographie* (5e édit.) Paris 1862. 18. = Plura de bibliographia palæographica videsis apud W. WATTENBACH, *Das Schriftwesen im Mittelalter* (Leipzig 1871), p. 1-32.

sime judicari possit librum, in quo hæc reperiuntur, illi attribuendum esse; aut contra vel totum vel in aliqua parte, ævi sequioris notam præ se ferre.

3° Simile indicium præbere solent personæ, nomina, facta, mores, artes, controversiæ, quæ in aliquo scripto memorantur.

4° Itemque ingenium, affectus, sententiæ, quæ aliunde constat fuisse auctoris cui liber attribuitur, vel contra.

5° Ac denique tota facies quasi et indoles scriptionis seu, ut vulgo aiunt, stylus.

9. Ubi igitur suspicio oborta fuerit circa authentiam vel integritatem alicujus libri certo cuidam auctori vel ævo attributi, aut ubi repertus fuerit liber scriptoris incerti, hæc omnia indicia sedulo perpendenda erunt; et non raro inde vel in perspicua luce collocare licebit authentiam libri aut suppositionem, vel, si nomen auctoris inscriptum ei non fuerit, illud certo indigitare. Ceterum facile constat in illis regulis applicandis præcipua quadam prudentia opus esse ne, quod non semel accidisse experientia testatur, præconcepto judicio indulgentes, vel temere affirmemus omnino alienos esse a consuetudine cujusdam scriptoris vel ævi modos loquendi vel sentiendi in opere, de quo instituitur quæstio, occurrentes (1), vel non satis habeamus rationem materiæ ac finis scriptionis et aliarum circum-

(1) Exemplum satis insigne hujusmodi temeritatis indicavi in Periodico *Etudes religieuses*, Tom. cit. p. 722. not. 3.

stantiarum, unde haud ægre explicaretur quæ primo forte offenderit apud scriptorem styli discrepantia, vel in modo sentiendi circa ipsas res mentis conversio aut etiam dissimulatio.

10. Porro advertendum est : 1° Quædam documenta non ideo omni auctoritate carere quia quibusdam aut etiam multis indiciis probantur spuria. Etenim ***a.*** temporibus medii ævi non raro accidit ut, quum diplomata principum aut chartæ donationum vel immunitatum ecclesiis aut monasteriis concessa, per subitam hostium incursionem, incendio vel alio casu deperiissent, restitutis deinde rebus, ex apographis vel testimonio eorum qui documenta authentica viderant, nova diplomata, iisdem quibus priora verbis concepta, conficerentur et sigillo regio vel alius viri principis munita, pro documentis deperditis in monasterii archivo asservarentur. Jam vero facile patet in hujusmodi documentis indicia quædam suppositionis, præsertim interna, primo statim intuitu deprehendi posse. — ***b.*** Præterea ex documento spurio multa sæpe hauriri possunt utilia ad cognitionem eorum quæ pertinent ad ætatem qua confectum est.

2° Ubi codices manuscripti ab aliquo typis editi, ipsi jam consuli non possunt, sive quia deperierunt sive ob aliam quamlibet rationem, fides editionis integritati habenda maxime pendet ex auctoritate seu nota probitate et scientia ipsius editoris. — Et idem dicendum est de operibus posthumis alicujus scriptoris.

ARTICULUS II.

DE RECTA INTERPRETATIONE TESTIMONIORUM (1).

11. Hujus interpretationis, ut facile constat, præcipuum fundamentum præbet cognitio, quam haberi potest perfectissima, linguæ qua usus est scriptor documenti. Hanc utique, quantum ad studia historica pertinet, aliqua ex parte supplere potest usus lexicorum a doctissimis viris confectorum, qualia sunt *Thesaurus linguæ græcæ* Henrici Stephani et Cangii (du Cange) *Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ græcitatis* pro documentis græcis; pro latinis vero, ejusdem Cangii *Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis* cum lexicis Forcellinii et Freundii. Quæ ita adhibenda sunt ut ex collatione textuum quos illi auctores attulerunt, et si quos ipsi præter hos collegimus, sensum vocis quæ in testimonio nobis obvio aliquam difficultatem facessere potest, rite fideniamus (2). Ad hoc autem sæpe juvat quam maxime, imo et omnino necesse est, probe nosse et sedulo attendere qua ætate et in qua regione vixerit testis noster, quænam instituta et mores tunc temporis in ea regione vigerent, quasnam opiniones circa res religiosas, politicas aut alia ejusmodi profiteretur, quænam particu-

(1) De hac re egi in Periodico *Etudes religieuses*, etc. 4e série, Tom. IV. p. 161-170.

(2) Cfr. supra Cap. I. N. 8, 2°. (p. 5.)

laria aut singularia apud ipsum animadverti possint quoad modum loquendi, quasnam materias tractet, ad quos loquatur, et cetera hujus generis. Quæ omnia, quod spectat ad scriptores ecclesiasticos, plerumque indicata sunt in præfationibus, sive generalibus, sive specialibus, quas eruditi editores illorum operibus præmiserunt. Præterea sensus alicujus vocis plus minus obscuræ maxime illustrari solet ex contexta oratione.

ARTICULUS III.

DE AUCTORITATE TESTIUM.

12. *Testes* historici dicuntur ii per quorum verba seu scripta facta historica nobis affirmantur. Variis autem secundum varias rationes nominibus distinguuntur, præsertim vero : ***a.*** ratione temporis, alii sunt facto quod affirmant *coævi* seu *æquales;* alii *suppares* seu fere coævi; alii *remoti*. ***b.*** Ratione loci, gentis, societatis ad quam pertinent, alii sunt *domestici,* qui scilicet testantur factum quod apud ipsos contigit; alii *externi*. ***c.*** Ratione (ut ita dicam) propinquitatis ad factum, alii sunt *immediati* seu qui propriis ipsi sensibus factum perceperunt; alii *mediati,* qui illud testantur ex relatione aliorum. Ubi autem plures testes mediati factum sermone celebrant, incerto tamen teste immediato, hoc testimonium *fama* dicitur seu *rumor*.

13. Testimonii autem auctoritas desumitur ex testis, quoad rem quam affirmat, scientia et veracitate : seu,

aliis verbis, testimonium historicum eo majorem minoremve certitudinem aut probabilitatem gignit, quo magis minusve certum aut probabile est testem nec errasse nec voluisse decipere. Jam

14. I. Quod spectat ad *scientiam* testium :

1° Quidam testes rem quam testantur sciunt necessario; quales sunt cujusque rei auctores, consiliarii, etc., interdum etiam rei gestæ præsentes, si ea sit illius natura, ut qui adest, admodum modica attentione eam perspicue teneat.

2° Apparet etiam rem probe scire potuisse, quibus fuit ejus explorandæ opportuna facultas; quales sunt, de quibus obscurum non est ipsos a testibus illis primi ordinis narrationem suam mutuatos esse, aut qui referunt factum quod indole sua, eo tempore et loco ubi vixerunt, pervagatum fuit et necessario omnibus notum.

3° Quædam vero non omnibus æque innotescunt, quia vel plus minus secreto tractantur, vel aguntur diversis locis, per diversas partes ac diversorum opera, vel quia majori diligentia, sagacitate, prudentia aut etiam speciali scientia opus est ad illa rite observanda et percipienda (1).

4° Denique multa per rumores seu famam tantum nota sunt. Quam autem suspecta sit hæc ratio notitiæ, experientia satis constat, præsertim si agatur de re non omnino publica vel ex eo genere quod phantasia popularis facile ornare vel deformare consuevit.

(1) Cfr. Balmès, *Art d'arriver au vrai*, Chap. VIII. § 2.

15. Quonam autem gradu scientiæ ex modo memoratis polleat aliquis testis seu scriptor antiquus, definiri poterit vel ex ejus ipsius testimonio, si scilicet profiteatur unde suam relationem hauserit; vel ex historia ejus aliunde nota, quia scilicet, ubi comperimus quo tempore, quo loco, quibus moribus et opinionibus vigentibus scripserit, hoc ipso certo vel probabiliter colligere possumus qua ratione noverit ea quæ narrat; vel denique quia ex collatione quarumdam partium ejus narrationis cum documentis coævis adhuc exstantibus, agnoscere licet qua diligentia uti consueverit in inquirendo et qua solertia in interpretando testimonia aliena vel antiquiora. Quod si hæc omnia ob inopiam documentorum incerta sunt, hoc ipso plus minus incerta evadet testimonii auctoritas.

16. II. Quod spectat ad *veracitatem* testium, hæc per se supponitur tamquam probabilis. Sed frequenter accedunt quædam quibus hæc veracitas aut multo certior redditur aut valde suspecta. Sic

1° Satis constat verum dicere voluisse eos quorum id maxime intererat, sicut v. g. publicorum documentorum confectores circa ea ubi sine maximo dedecore falsi aliquid admittere iis non licet, et si admisissent, facillime res deprehenderetur.

2° Item eos qui scripserunt de re plane illustri eo tempore ac loco quo multorum adhuc memoriæ inhærebat, si hos, ut eorum mendacio contradicerent, graves, nullæ vero ut silerent, rationes impulissent.

3° Item eos quorum probitas extra omne dubium

versatur, nisi tamen in casu particulari mens eorum ita vehementi affectu præoccupata et quasi obruta appareat, ut rem quam affirmant minus accurate quam oportuisset examinasse censeri debeant. — E contra vero qui alias deprehensus est mendax, vix ullam communiter fidem meretur, præsertim ubi eædem illi mentiendi rationes adsunt.

4° Qui partium studiosus agnoscitur, generatim plus minus suspectus est in iis quæ favent parti cui addictus est vel quæ alteri parti adversantur. Et simile aliquid dicendum de iis qui spe vel metu adduci potuerunt ad ea quæ referunt testanda. — E contra vero magnam sibi vindicant fidem, qui partium studio aut spe vel metu retrahi potius ab illa testando debuerant.

5° Facta quæ ad propositum aliquod probandum studiose a scriptoribus aptantur, accuratius expendenda sunt : qui enim ita procedunt, facile historiam quasi a priori conficiunt. — E contra non mediocre vere dicendi voluntatis argumentum est quædam in scribendo modestia et diligentia qua, etiam in iis factis enarrandis quibus doctrina et opiniones scriptoris menti alte inhærentes validissime confirmantur, certa a probabilibus et incertis per ipsas narrationis formulas sedulo distinguuntur.

6° Qui novitate percellere et ad scenæ dramaticæ modulum narrationem aptare affectant, aut justo magis orationis pigmenta consectantur, aut ubique mirabilia vident et vix ullum modum in laudando vel in vituperando servant, minori fiducia excipiendi sunt. —

E contra sinceritas manifestatur aperto, modesto et æquabili orationis tractu, et genere scribendi ab omni verborum fuco et subtilis ingenii laude prosequenda alieno.

7° Denique summatim dici potest, ad hoc ut rectum judicium circa veracitatem alicujus scriptoris ferri possit, magni momenti esse ut noverimus quam graves vere dicendi causas habuerit et quam pauca et levia, quominus vere diceret, ei adfuerint impedimenta : hæc ipsa autem definienda erunt ex cognitione tum loci ac temporis, tum morum ac opinionum aliarumque circumstantiarum inter quas ille vixerit et scripserit.

17. Ex his quæ modo (1) dicta sunt, ulterius concludere licet :

A. Quoad *documenta publica :*

1° Maxima generatim fides eis adhiberi potest circa notationem temporis (2), loci et aliorum hujusmodi in quibus publicum notarium errare admodum turpe est.

2° Similiter circa materiam præcipuam et propriam documenti, qualis est præscriptio legis, fœderis vel pacti conditiones et alia hujusmodi.

3° At non eidem fiduciæ locus est quoad ea quæ materiæ præcipuæ accidentalia et quasi extranea seu adventitia sunt, ut causæ, argumenta, consilia quæ attribuuntur illi cujus jussu aut mandato documentum conficitur. Experientia enim satis notum est quam sæpe

(1) N. 14-16.

(2) Adverto tamen in apographis numeros sæpe corruptos esse culpa librariorum qui illa transcripserunt. Cfr. etiam supra N. 10, 1°. (p. 17.)

et facile in iis assignandis adversus sinceritatem peccetur.

4° Sed et præcipua cautione opus esse patet, ubi agitur de iis quæ in laudem aut vituperium cedunt societatis, auctoritatis publicæ aut viri alicujus principis aut potentis. Illa enim nimis exaggerari vel etiam falso proferri sæpe solent; hæc autem dissimulari, imo et perperam in laudem verti.

18. B. De *scriptis privatorum* illud in universum dici potest, testimonium alicujus privati scriptoris auctoritatem tantummodo probabilem constituere, nisi accedant aliqua indicia tum scientiæ, tum veracitatis quoad rem de qua agitur, quæ auctoritatem ejus certam efficiant, vel contra ostendant eum nullam mereri fidem. Speciatim vero distingui possunt :

19. 1° *Diaria* (1), relationes publicæ aut secretæ *legatorum*, narrationes *viatorum*, et si qua sunt hujusmodi, inter medias res scripta et ubi referunt auctores quæ ipsi egerunt, viderunt aut ab aliis audierunt. Hæc quum fuse et minutatim res describere soleant, multum sæpe luminis factis historicis affundunt. Sed sedulo examinandum est in quas partes propendeat scriptor, utrum diligens et gravis et quieta ac libera mente fuerit in rebus observandis et indagandis, an contra levis, credulus et nimis ferventi atque præjudiciis aut affectibus præoccupato animo; quibusnam investigationis mediis certo vel probabiliter usus

(1) *Mémoires, journaux.*

fuerit; quantum ad ejus famam aut commoda interesset ut res hoc vel illo modo contigisse crederentur; quam probabiliter se exponeret contradictioni et dedecori aut aliis incommodis, si quædam minus diligenter observasset aut minus vere retulisset : et ita de ceteris quæ supra ostendimus admodum conferre ad augendam vel minuendam illius auctoritatem. Ubi autem ea omnia circa auctorem ignota sunt, facile apparet magna prudentia opus esse in isto genere testimoniorum adhibendo.

20. 2° Simile aliquid dicendum est de diariis seu foliis (ut aiunt) publicis et *periodicis*, circa quæ præterea considerandum est qua libertate et securitate verum dicere licuerit eorum scriptoribus, eo tempore et in ea regione et societate ubi degebant. Sed et propter multiplices erroris et fallaciæ causas in hoc genere documentorum occurrentes, concludendum videtur ea vix posse dici fontes historicos, si singillatim sumantur, sed solummodo collective, seu ubi omnia vel multa diversa simul conferantur. Singula tamen multum juvare possunt ad eventuum chronologiam statuendam. Quod si alicujus diarii scriptor certus sit ac notus, illud jam ad documenta de quibus superiori numero diximus accensendum est.

21. 3° *Epistolæ*, quarum ***a.*** quædam publice datæ sunt a viris principibus. Hæ generatim monumentis publicis adnumerandæ sunt et ex iisdem regulis earum auctoritas dijudicanda.

b. Aliæ formam quidem habent epistolarum, sed

sunt re vera apologiæ, dissertationes aut tractatus, relationes ex officio a legatis missæ, etc.

c. Aliæ proprie dictæ epistolæ sunt ab aliquo privato viro ad alterum scriptæ. Circa quas α) Multum consideranda est persona scribentis et ejus ad quem scribit, ut ex utriusque consideratione appareat quam sincere prior locutus esse censendus sit, et quam diligenter in ea quæ refert inquisierit. β) Generatim sinceritas magna habetur in epistolis quæ ad familiares et consiliorum participes scribuntur, aliis non communicandæ. Habendæ sunt itaque ut fontes maximi momenti ad cognoscenda vera consilia et modum sentiendi, præsertim quidem scribentis, sed etiam non raro ejus ad quem scribitur. γ) Multum etiam subsidii afferunt ad factorum chronologiam recte statuendam. δ) Itemque ad illustranda ea facta quæ necessario scire (1) censendus est scribens. ε) Sed eadem fiducia generatim haberi non potest circa ea quæ minus necessario novit (2), etiamsi res maxime recentes sint, quum ea quæ sic currente calamo, ut aiunt, scribuntur, non adeo diligenti indagatione perspecta esse soleant.

22. 4° *Elogia* funebria, orationes panegyricæ, historiæ virorum illustrium aut recens mortuorum in eorum laudem conscriptæ. In quibus contra sinceritatem quæ in fonte historico maxime requiritur, frequenter peccari, sive per dissimulationem sive per nimiam exaggerationem, satis notum est.

(1) Cfr. supra N. 14, 1°. (p. 20.) — (2) Cfr. ibid. 3° et 4°.

23. 5° *Libri historici* proprie dicti, seu qui ex professo et collectis ex industria testimoniis conscripti sunt ab hominibus privatis ad servandam rerum memoriam, sive scriptores coævi sint, sive suppares, sive longe factis posteriores. Apud quos tria genera factorum relatorum distinguere licet :

a. Quædam narrant allatis simul testimoniis vel documentis e quibus earum cognitionem hauserunt. In quo casu ad hæc tamquam fontes recurrendum erit, ad judicium criticum de veritate factorum ferendum (1).

b. Alia referunt non indicatis suis fontibus, sed quorum nos ipsi certos fontes adhuc habemus. In eo casu etiam auctoritati horum fontium potius quam recentiori scriptori fides habenda erit, præsertim ubi circa ea in quibus is a fontibus nostris recedit, causam certam aut probabilem erroris ex parte ipsius indicare poterimus.

24. ***c.*** Quædam denique referunt quorum testimonia et indicia antiquiora jam omnino non, vel saltem nonnisi paucissima neque satis certa, existunt. Ubi

α) Maxime nosse intererit quænam testimonia vel documenta certe vel probabiliter adhibuerit scriptor, ut inde judicium ferri possit circa ejus scientiam.

β) Intererit etiam nosse conditionem temporum et regionis ubi scripserit, quam diligenter scilicet, accurate et vere tunc ibidem scribi soleret historia.

γ) Examinanda erit et ratio personæ scriptoris ipsius,

(1) Cfr. supra Cap. I. N. 8, 2°. (p. 5.)

ut quam optime constet de propria ejus diligentia in inquirendo verum et veracitate in referendo.

δ) Hoc judicium multum juvari generatim poterit, si attenderimus rationem qua facta primi et secundi ordinis modo (1) indicati tractaverit.

ε) Ceteris paribus, scriptor coævus et domesticus majori generatim auctoritate gaudet quam recentior et externus. Attamen quædam sunt facta circa quæ scriptores aliquanto posteriores aut externi potius audiendi sunt : ubi scilicet res occulte fuerit tractata, aut inter adversas factiones aut agentibus hominibus auctoritate vel potentia conspicuis. Nempe progrediente tempore occulta in apertam lucem prodire, animorum vehementes motus conquiescere, pacate veritas inquiri et assentandi studia facilius abesse possunt et solent.

25. 6° *Tractatus* dogmatici, polemici, scientifici, orationes item et aliæ lucubrationes quæ per se ad historicum scribendi genus non pertinent, sed unde multa sæpe hauriri possunt ad historiam illustrandam. Circa quæ nullæ regulæ speciales præter eas quæ supra ad dijudicandam scientiam et veracitatem alicujus testis (2) et quæ speciatim circa auctoritatem epistolarum (3) datæ sunt, indicandæ videntur.

26. Denique præterea advertendum : 1° Plurimos testes, quos ab uno rem accepisse nec aliunde ejus veritatem explorasse constat, non majorem efficere auctoritatem quam illum solum a quo rem acceperunt.

(1) Num. præc. — (2) N. 14-16. (p. 20.) — (3) N. 21, c. (p. 26.)

2° Patres Ecclesiæ in quæstionibus facti (non dogmatici) non majorem auctoritatem habere quam ceteros testes probos, ac proinde secundum easdem regulas, quæ pro ceteris adhibentur, eorum testimonia expendenda esse (1).

3° Sedulo distinguenda esse testimonia circa nudum factum ab iis quæ testes illis subjiciunt circa facti causas, effectus et interpretationem.

ARTICULUS IV.

DE VI ARGUMENTI NEGATIVI.

27. Ad complementum hujus capitis dicendum est de vi argumenti, quod ad negandum factum aliquod conficitur ex silentio quorumdam scriptorum, ætati qua illud contigisse dicitur æqualium vel proximorum, quodque *argumentum negativum* vocari consuevit.

28. Circa argumentum illud hæc regula videtur statuenda, ex silentio scilicet alicujus scriptoris tunc valide argui posse adversus veritatem facti ubi, inspectis conditionibus omnibus loci, temporis, aliisque sive ad ipsum factum, sive ad scriptorem pertinentibus, omnino judicandum apparet *a.* factum hujusmodi esse

(1) Honoratus a S. Maria inter *Observationes* suas *in regulas et usum criticæ* multo nimis laudatas, Diss. II. Part. I. Artt. I et II, non videtur ad id attendisse et, sicut et reliqui quos ibidem citat, nimis exaggerasse *reverentiam Patribus debitam*. Ceterum et recte advertit (ibid. et Artt. III ac IV) eosdem illos scriptores, qui hanc reverentiam adeo prædicant, in praxi et circa facta particularia facile Patrum auctoritatem rejicere aut eludere.

ut ab hoc scriptore omnino ignorari non potuerit, et *b.* eumdem scriptorem certe de eo facto locuturum fuisse, si illud non ignorasset. — Ubi hæc duo manifeste simul adsunt, tunc perinde est factum a scriptore taceri ac negari. Tunc enim scriptor ille fere eodem loco habendus est quo testis qui a judice interrogatus circa factum quoddam, quod omnino non potuit non vidisse, si vere contigisset sicut ab accusatore vel a reo refertur, se nihil scire profiteretur.

29. Itaque non ex solo silentio scriptorum, etiam multorum et perdiu post ætatem attributam facto de quo inquiritur continuato, argumentum negativum efficax seu positivo æquivalens deducitur, sed adjuncta duplici conditione mox memorata. Quæ si adesse ostenditur, etiam ex unius scriptoris silentio argumentum istud conficitur. Contra vero vix unquam aliquid adversus veritatem facti concludere licet ex solo silentio, etiam omnium quos penes nos habemus scriptorum coævorum et supparium. Præterquam enim quod multa quæ nunc magni momenti apud nos habentur, facile alia ætate non ita existimari, et omnino a scriptoribus negligi ac sola orali traditione posteris transmitti potuerunt; præterea (inquam) perraro certum nobis est nos omnia omnium qui illa ætate aliquid litteris exararunt, scripta integra habere, ita ut certo pronuntiare nobis liceat apud nullum scriptorem coævum vel supparem illius rei mentionem factam esse.

30. Neque etiam nimis facile judicandum est quoddam factum ita illustre esse et semper fuisse ut om-

nibus, etiam mediocriter doctis, ab illius ætate non ita remotis, omnino notum esse debuerit. Neque enim certis temporibus adeo frequentia erant litterarum et nuntiorum commercia inter diversas orbis regiones, ut quod in earum aliqua etiam publice et vehementi animorum commotione gerebatur, statim vel brevi in aliis percrebresceret. Sic v. g. (quod utique incredibile videretur nisi omnino certum esset) S. Augustinus anno 405 nihil sciebat de celebri concilio episcoporum catholicorum Sardicæ congregato anno 343; sed solummodo, atque etiam valde imperfecte, noverat conciliabulum eodem tempore ab Arianis Philippopoli habitum (1); unde ulterius neque cognovisse judicandus est quædam opera S. Athanasii, ubi de concilio Sardicensi diserte et fuse agitur. Idem Augustinus, ubi episcopus ordinatus est, non noverat Canonem VIII Concilii Nicæni, quo vetabatur ne duo simul episcopi in eadem civitate essent : nec illum canonem noverat senior episcopus Hipponensis Valerius (2). Attamen Concilio Nicæno adfuerat Cæcilianus episcopus Carthaginensis, qui et authenticum exemplar canonum in illo editorum in Africam attulerat (3). — Sic etiam S. Gregorius Na-

(1) « Inseris principium epistolæ Sardicensis, ubi Donati Carthaginis » episcopi vestri nomen invenitur adscriptum... Disce ergo quod nescis. » Sardicense concilium Arianorum fuit,... contractum maxime contra Atha- » nasium episcopum Alexandrinum catholicum. » *Contra Cresconium* III. 34 et IV. 44.

(2) « Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre et episcopo meo sene » Valerio, episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo : quod concilio Nicæno » prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. » Epist. 213 (al. 110.) n. 4.

(3) Hæc omnia fusius tractavi in Periodico *Etudes religieuses*, etc. 4e série, Tom. V. p. 513 sqq.

zianzenus, circa an. 380 orationem panegyricam publice pronuntians in laudem S. Cypriani, permiscuit historiam celebris episcopi Carthaginensis, qui martyrium subiit anno 258, cum actis S. Cypriani Antiocheni qui, primo magicis artibus deditus, tandem ad veram fidem conversus, paulo post martyrio coronatus est Nicomediæ anno 304 : hæc igitur adeo confudit Gregorius ut ex utroque unum fecerit, quum nihil omnino præter nomen habuerint commune (1).

ARTICULUS V.

QUID PRÆSTANDUM SIT UBI ADSUNT TESTIMONIA CONTRADICTORIA.

31. Pauca denique advertisse juvabit circa hunc casum. Ubi igitur testimoniorum conflictus deprehenditur, diversis diversa testantibus :

1° Accurate expendendæ sunt factorum quæ narrantur circumstantiæ omnes, et videndum num discordia sit solum apparens, narrationesque diversæ conciliari possint.

2° Si nulla appareat possibilis conciliatio, æstimanda hinc inde, juxta principia supra posita, testantium auctoritas (ratione etiam habita argumentorum negativorum); iique præferendi qui, libratis omnibus, majorem sibi fidem merentur. — Nisi forte utraque testimonia, propter auctoritatis defectum, simul rejicienda existimentur.

(1) Cfr. Migne, P. G. XXXV. p. 1167.

3° Notandum postremo, hæc valere de testimoniorum conflictu circa essentialia facti. Si enim discordia sit solummodo circa quædam accidentalia, id veritatem facti quoad substantiam sæpe confirmat : ostendit enim nullam inter testes conspirationem fuisse neque alios aliorum testimonia exscripsisse.

4° Ex opposito autem, quando suspicio est conspirationis testium ad mentiendum, diversitas circa aliquid accidentale quod indubie utrisque æque notum esse debet, omnem sæpe fidem iis adimit : quomodo accusatores Susannæ a Daniele mendacii convicti sunt (1).

(1) V. præterea quæ notantur infra Cap. V. N. ult. (p. 43.)

CAPUT III.

DE AUCTORITATE TRADITIONIS ORALIS.

—

1. Multiplici significatione usurpatur vox illa traditio. Nam 1° Sensu maxime generali *traditio* dicitur, tum ipsa transmissio alicujus veritatis, artis, moris, facti, etc. ab antiquioribus ad posteros, quacumque via id fiat, tum ipsæ res quæ ita transmittuntur, tum etiam complexus documentorum, monumentorum, etc., quorum ope transmittuntur.

2° Magis speciatim *traditio dogmatica* seu *christiana* vocatur ea quæ complectitur dogmata christianæ fidei, et præcipue dogmata nullo modo vel non ita perspicue in sacris litteris consignata. De hujus auctoritate, quæ ex privilegio infallibilitatis, tum *activæ,* tum *passivæ,* Ecclesiæ catholicæ a divino suo conditore communicato, humanam quamlibet longe antecellit, disserendi hic locus non est (1). Denique

3° *Traditio oralis,* aut *vulgaris* seu *popularis,* vel

(1) Videsis quæ de illa traditione obiter indicavi *Etudes religieuses,* Tom. cit. p. 69-74.

simpliciter et proprio sensu *traditio*, dicitur relatio alicujus facti per testes mediatos atque ætate qua illud contigisse fertur longe posteriores, ignotis omnino testibus immediatis et etiam intermediis, per quos facti memoria servata est et ad remotiores illos testes pervenit.

2. De hac ultima sola hic agendum. Circa quam et prævie advertisse juvat quod recte notat Daunou (1) : « (En général) les traditions passent successivement par trois états distincts. D'abord elles ne sont que des récits qu'un père fait de vive voix à son fils, ou qu'une génération composée de plusieurs familles, transmet à la génération suivante.... — Le second état des traditions commence au moment où ces notions historiques, vraies ou fausses, pures ou altérées, donnent lieu à des usages domestiques ou publics, se fixent par des cérémonies, des coutumes, des institutions civiles ou religieuses; s'introduisent même dans le langage, s'attachent à des expressions communes, et contribuent à former le vocabulaire. — Dans leur troisième et dernier état, elles sont représentées par des signes quelconques, emblèmes, images, écriture hiéroglyphique ou alphabétique, registres enfin, mémoires ou annales. Il peut arriver même qu'elles soient recueillies, écrites, publiées par des étrangers : c'est ainsi que l'ouvrage d'Hérodote nous tient lieu des traditions de plusieurs peuples antiques, et qu'il en est pour nous le premier et le plus ancien fonds. Que tôt ou tard on ait fini par

(1) *Cours d'études historiques*, Tom. I. p. 58.

écrire les récits traditionnels, cette circonstance, sans laquelle nous ne les connaîtrions pas aujourd'hui, n'en change point la nature : il n'y a toujours là originairement que des transmissions orales plus ou moins prolongées. »

3. De hujus itaque traditionis auctoritate breviter dicendum videtur, eam fere eodem loco ponendam esse cum fama seu rumore populari. Eædem quippe notæ utrique conveniunt. Nam et utrimque occurrit multitudo ingens testium intermediorum omnino ignotorum, utrimque etiam omnino ignoti sunt testes immediati, ac tandem utrimque innumeri citari possunt casus ubi res hac ratione assertæ postea ex aliis et certioribus fontibus veræ compertæ sunt, ac fere æque multi ubi compertæ sunt falsæ.

4. Jam vero vir prudens, cujus multum interest omnia nosse quæ in regione quadam longinqua contingunt, utique omnes rumores, qui inde ad ipsum perveniunt, avide excipit; neque tamen quæ ita feruntur, statim certa fide credit, sed inquirit sedulo num per alias vias tutiores quid verum sit circa illa, quidve falsum, scire possit : quod etiam aliquando ipsorum rumorum ex diversis certe partibus allatorum collatione assequi licebit. Quod si nullum ejusmodi subsidium ipsi præsto fuerit, hærebit incertus, vel saltem res ita nuntiatas nonnisi cum formidine quadam admittet; neque ea coram aliis tamquam certa affirmabit, sed si illa communicare videbitur, id faciet simul indicans fontem suæ notitiæ et cum aliqua dubiæ aut

hæsitantis mentis significatione; ac tandem cavebit ne quidquam alicujus momenti ea sola cognitione nixus agat vel statuat. — Simili modo itaque utendum videtur traditione orali in statuendis factis historicis.

5. Neque igitur hæc regula sequenda est, secundum quam ea quæ in facto quodam per traditionem oralem transmisso substantialia videntur, admittenda; quæ vero accidentalia, rejicienda aut saltem magis suspecta dicuntur. — Neque etiam altera regula, quæ illas traditiones ut veraces recipiendas docet quæ α) versantur circa factum illustre, publicum et multis necessario testibus immediatis perspectum, ac præterea β) ab omnibus et per multum tempus admissæ sunt, nemine contradicente. — Experientia enim constat quam fallax sit utraque illa regula (1).

6. Porro, sicut inter facta quæ per rumores populares feruntur, ea per se minus credibilia habentur quæ magis extraordinaria sunt, stupenda et portentosa, in quibus scilicet præcipue multa nimis exaggerare aut etiam omnino confingere consuevit popularis phantasia, ita quoque quæ hujus generis per traditionem oralem transmittuntur. — Et similiter per se magis suspecta sunt ea quæ maxime in laudem vel commoda cedunt eorum per quos vel apud quos tradita reperiuntur.

7. Neque quoad hæc omnia exceptio vel quasi privilegium quoddam statuendum videtur pro traditioni-

(1) Quædam exempla id comprobantia memoravi *Etudes religieuses*, Tom. cit. p. 84-91.

bus quæ vigent in ecclesiis particularibus, etiam ubi monumentis liturgicis aut aliis eæ jamdudum consignatæ sunt, nisi 1° satis constet ipso tempore quo facta illa traditionalia contigisse feruntur ac semper deinceps, ecclesias illas ita fuisse constitutas et administratas, ut nihil apud ipsas leviter et temere credi aut plus minus fallaciter suaderi potuisse, conniventibus saltem silentio earum rectoribus, judicandum sit. Ubi enim id positive constat, traditionum hujusmodi auctoritas fere æquiparanda videtur auctoritati documentorum publicorum coævorum, quum in tali casu et res primum testimonio fuerit quasi publico asserta, et præterea traditio oralis inter conditiones memoratas tutissima censenda sit transmissionis via (1).

2° Magna etiam per se auctoritate pollet traditio particularis ecclesiæ quæ facta refert non ita vulgaribus commentis obnoxia, quæque præterea, nedum laudem vel commoda ulla illi ecclesiæ pariat, potius aliquid oppositi secum affert.

3° E converso autem, si nulla appareat in ecclesia quadam particulari traditio circa factum unde magna laus vel commoda eidem proventura essent, admodum efficax inde confici potest argumentum negativum contra veritatem hujus facti.

(1) Cfr. *Etudes religieuses*, ibid. p. 75-78.

CAPUT IV.

DE MONUMENTIS NON SCRIPTIS.

—

1. *Monumenta non scripta* vel aliquando simpliciter *monumenta* dicuntur res materiales quælibet, quæ præteritis seculis constructæ vel confectæ ad nos pervenerunt, ut ædificia, sepulcra, supellex domorum et utensilia, diversarum artium instrumenta, vestes, arma, statuæ, tabulæ pictæ, signa seu sigilla, nummi et numismata, chartæ ac diplomata, et si qua sunt alia ejusdem generis.

2. Circa quæ, sicut circa documenta scripta, triplex plerumque quæstio solvenda est : quarum prima est de authentia monumenti seu ad quamnam ætatem pertineat; altera est de interpretatione seu quidnam repræsentet vel exhibeat; ad tertiam vero spectant conclusiones certæ aut probabiles ex iis deducendæ ad rem historicam.

3. Jam quod pertinet ad primum, ætas, sive absoluta, sive relativa, monumentorum statuitur tum indiciis externis, tum, et vulgo præcipue, indiciis internis.

Indicia externa reducuntur ad testimonia quæ de iis reperiuntur in documentis scriptis et orali traditione. Interna vero repetenda sunt ex disciplinis specialibus quæ circa illa monumenta inspicienda versantur, ut *Archæologia* proprie dicta, *Numismatica,* de re *Lapidaria, Sphragistica,* etc. — Et ad easdem fere spectat eorumdem monumentorum interpretatio.

4. Quoad conclusiones vero quæ ex illis eruuntur :

1° Inscriptiones lapidibus vel nummis incisæ habendæ sunt tamquam documenta scripta et secundum easdem regulas perpendenda.

2° Si quid pingendi aut sculpendi arte in iis expressum est quo aliquod factum repræsentatur, ista repræsentatio eodem loco ponenda est quo testimonium scriptum eorum qui monumentum finxerunt vel posuerunt, ac proinde rursus hic recurrunt regulæ jam datæ, quibus indicatur quomodo isto genere auctoritatis utendum sit.

3° Pleraque autem nullum factum antiquum effigie aliqua exhibent, sed ope ratiocinii non pauca ex iis deduci possunt circa mores, instituta, opiniones religiosas, etc. antiquorum populorum. Quæ ratio inquisitionis reducitur ad alterum illud historicæ scientiæ instrumentum, quod argumentis ex natura factorum petitis et inductione vel conjectura continetur. De quo jam proximo capite agendum.

CAPUT V.

DE RATIONIBUS EX NATURA FACTORUM PETITIS ET DE INDUCTIONE VEL CONJECTURA.

—

1. Istam rationem argumentationis adhiberi monuimus (1), tum ad veritatem factorum, quæ per fontes historicos manifestantur, ex ipsa eorum natura vel confirmandam vel impugnandam, tum ad facta quædam ex aliis factis notis statuenda, ope ratiocinii scilicet; quod, si conclusio ut certa vel admodum probabilis apparet, *inductio historica,* si vero possibilis solummodo vel tenuiter probabilis, *conjectura* vocari solet.

2. Hæc argumentatio vel *affirmans* dici potest, ubi scilicet in conclusione affirmatur factum de quo habetur quæstio, vel *negans.* — In hoc posteriori genere ostendere conantur rem quæ narratur (aut supponitur) intrinsecam repugnantiam involvere, vel contradicere alicui legi physicæ aut morali, vel non convenire tempori aut loco quo gesta fertur, vel denique cum aliis eventibus certis conciliari non posse. — In affirmante

(1) Cap. I. N. 6. (p. 3.)

vero imprimis ostenditur nullam illiusmodi repugnantiam adesse. Ulterius autem, et modum quo res gesta fertur (aut supponitur) omnino et positive legibus physicis et moralibus ac circumstantiis temporis, loci et aliis quibuslibet convenire. Præterea affertur analogia aliorum factorum similium. Denique arguitur ex iis quæ præcesserunt vel quæ consecuta sunt, ut appareat factum de quo disceptatur plus minus intimam connexionem cum illis habere, sive ut effectum sive ut causam, atque adeo ex hoc capite probabiliter aut etiam necessario contigisse.

3. Inductio autem et conjectura latissime patet, quippe quæ versetur in definiendis factis quæ omnino aut vix non omnino in documentis scriptis et traditione prætermissa sunt; idque ex relatione seu nexu quem habent cum aliis factis notis vel etiam cum monumentis non scriptis. Ex consideratione scilicet hujusmodi factorum vel monumentorum aliquæ mox hypotheses circa alia facta cum his connexa, quasi sponte menti sagaci et in iis rebus exercitatæ sese offerunt. Quæ primo quidem tantum meræ hypotheses seu conjecturæ dicuntur; sed non raro contingit ut deinde, accurate perpensis earum singulis et ad alia monumenta et facta certa collatis, vel etiam ob argumenta ex natura factorum petita, pleræque jam impossibiles aut certe improbabiles appareant, quædam autem omnino et positive probabiles, imo et per exclusionem successivam ceterarum una quædam aliis longe pro-

babilior, vel etiam necessaria seu moraliter certa demonstretur.

4. Gradus enim roboris multiplex in istiusmodi conclusionibus distinguitur. Nam, si argumentatio affirmans est, res de qua agitur vel demonstratur *possibilis* tantum seu *negative probabilis,* ubi scilicet ostenditur tantum nullam in ea contradictionem seu impossibilitatem manifestari; vel demonstratur *positive probabilis;* vel denique nonnumquam probatur necessario seu *certo* statuenda. — E converso, si argumentatio negans est, secundum diversos gradus res vel *non* ita *certa,* vel *positive improbabilis* vel etiam aperte *impossibilis* ostenditur.

5. Omnino autem hic negligendam arbitramur: 1° Probabilitatem illam seu *verosimilitudinem subjectivam,* quam nonnulli recentiores scriptores, præsertim inter Germanos, non solum admittere, sed et præ omni alia res dijudicandi ratione maximi facere se exhibent; satis similem scilicet sensui illi seu quasi sapori *sui generis,* quo Protestantes aliqui scripturas inspiratas authenticas ab apocryphis, et earumdem verum sensum discernere sibi videntur. Quo genere criticæ (si tamen ea commenta ita vocare licet) in factis historiæ evangelicæ et ecclesiasticæ tractandis præcipue abusi sunt Ferd. Christ. Baur, Fr. Strauss, et qui horum vestigiis institit, Ern. Renan.

2° Neque etiam mentionem hic faciendam duximus argumentorum *a priori,* ex theologia vel alia hujus-

St. Albert's College Library

modi disciplina petitorum : hæc enim ad rem historicam non pertinere jam supra (1) satis monuimus.

6. Porro, etiam his exclusis, facile constat quam periculi plenum sit illud genus argumentationis de quo præsenti capite agimus, quamque pronum ibi indulgere opinionibus vel affectibus præconceptis, ac proinde quanta prudentia opus sit in eo adhibendo. Ex altera parte vero negari nequit non pauca, eaque magni momenti, ita per hanc viam demonstrata et stabilita esse ut nullum prudenti dubio locum relinquant : cujus rei exempla passim obvia sunt, speciatim inter ea quæ de cœmeteriis christianis Romæ a se exploratis edidit cl. J. B. de Rossi.

Jam ad regulas criticas. Triplicem casum distinguere juvabit.

7. I. Ubi factum aliquod per fontes historicos assertum, impugnatur rationibus ex ejus natura petitis :

1° Quod manifestam contradictionem involvit, sive in se, sive cum aliis factis certis, nulla auctoritate probabile fieri potest. Verum, antequam aliquod factum ex eo capite rejiciatur, sedulo considerandum est :

a. Num qua ratione seu conjectura probabili repugnantia tolli possit. Contingit enim quandoque ut per impetum quemdam vel inadvertentiam vel aliam similem circumstantiam aliquid a testibus rem referentibus omittatur, quod si proferretur, omnia sibi optime in eorum relatione cohærerent. Itemque, ut homines rudes

(1) Cap. I. N. 8, 3°. (p. 5.)

loquantur improprie, atque inde impossibilia narrare videantur, quæ tamen a viro prudenti non ita difficile ad justum modum reduci possunt.

b. Num repugnantia versetur circa facti substantiam, an circa peculiares quasdam et minutas circumstantias, quas popularis rumor aut phantasia narrantis (quod præsertim locum habet in traditionibus oralibus) facto vero facile potest adjicere. In quo posteriori casu substantiam facti negandam non esse, per se patet.

2° Quod est physice impossibile, i. e. exploratis naturæ legibus contrarium, nisi auctoritas plena sit, difficilius creditur quam quod est juxta consuetum naturæ cursum. — Sed et hic advertendum, ex insolentia facti sive modi quo contigisse fertur, non semper ad ejus impossibilitatem physicam recte concludi.

3° Quod est contra exploratas leges morales, seu quod abhorret a cognitis hominum generatim vel alicujus gentis dato tempore moribus et opinionibus, si de multitudine aliqua narretur, plerumque incredibile est; si vero de uno vel paucis individuis, non sine diligenti examine recipiendum. Etenim neque moraliter impossibile est haberi aliquas in legibus moralibus exceptiones; præsumptio tamen stat pro earumdem legum constantia.

4° Argumentum ab improbabilitate facti seu narrationis petitum *a.* vix unquam opponi potest documentis publicis, neutiquam aliunde suspectis. *b.* Ad convellenda vero testimonia (sive publica sive privata) aliunde jam suspecta, majores improbabilitatis gradus multum

valent. *c.* Si admodum improbabiles sunt narrationes privatorum testium, non quidem positive suspectorum, sed quorum fides non probatur summa, tota res in medio est relinquenda et judicium suspendendum. *d.* Minores autem improbabilitates vix ullius sunt momenti; imo et majores, ubi testes maxima fide digni positive ostenduntur, etiamsi adsint quædam testimonia contraria, sed auctoritate longe leviora.

5° Mera oppositi possibilitas fidem derogare nequit testimoniis quibuslibet.

8. II. Ubi factum aliquod, per testimonia historica jam assertum vel negatum, asseritur per rationes ex ejus natura petitas :

1° Testimoniis fide dignis (vel argumento negativo illis æquivalenti) vix unquam legitime opponere licet rationes ex facti natura petitas ad illud necessarium demonstrandum.

2° Levissima testimonia historica, alias fide vix digna, si ad ea firmanda accedunt rationes ex natura facti petitæ, æque sat graves, nulla vero adsunt argumenta in contrarium, ad fidem faciendam sufficiunt. Si autem veritas facti labefactatur rationibus hujusmodi, longe gravioribus iis quæ accedunt ad vim testimonii (per se debilem) augendam, jam omnis fere fides huic deneganda est.

3° Si testimonia inter se pugnantia et ex regulis supra (1) datis perpensa, paris fere auctoritatis appa-

(1) Capp. II et III.

rent, potior fides generatim habenda iis testibus quorum narratio pluribus et gravioribus argumentis ex natura facti petitis confirmari potest.

9. III. Ubi agitur de asserendo facto circa quod nulla afferuntur testimonia aut indicia illud immediate comprobantia vel negantia, aut de impugnando facto per inductionem vel conjecturam tantum asserto :

1° Ex mera possibilitate facti seu absentia repugnantiarum non legitime colligitur illud probabiliter contigisse. Sicut nec rei positive probabilis fides idcirco infringitur, quia aliquid fortasse excogitari potest mere possibile illi oppositum.

2° Si probabili opponatur probabile aliud, aut improbabili improbabile, attendendum est ad fontes unde variæ probabilitates emanant. Neque enim omnia probabilitatis genera robore ac pondere æqualia sunt. Sic v. g. relatio causæ ad effectum, ubi scilicet factum quod asseritur apparet tamquam causa admodum probabilis vel etiam sola possibilis cujusdam facti noti, generatim majorem probabilitatem gignit quam relatio effectus ad causam, ubi scilicet ex facto noto tamquam causa concluditur ad ignotum tamquam effectum, præsertim si quæstio sit de eventibus qui pendent a causa in agendo libera : nam causa multipliciter in agendo impediri potest aut, alia præterea interveniente, alium ab illo qui exspectabatur effectum producere. Sic etiam improbabilitas orta ex mera ignorantia causarum ad rem efficiendam requisitarum, minoris ponderis est quam ea quæ exinde oritur quod, si id quod narratur

evenit, contra omnem analogiam cursumque eventuum constantem evenire debuit.

3° Tunc maxime valet inductio ad eventum aliquem asserendum ubi plurima indicia, quæ singula per se aliquam probabilitatem afferunt, in eamdem conclusionem concurrunt; seu, aliis verbis, ubi plurima facta certa et quæ nullam (prout nota sunt) connexionem invicem habent, optime et simul explicantur in quadam hypothesi, præsertim si jam quædam ex iis seorsim considerata difficillime explicari possint in alia hypothesi : quo casu conspiratio omnium in eamdem conclusionem non raro moralem certitudinem aut probabilitatem proxime accedentem ad eam gignere poterit. De qua re apposite cl. J. B. de Rossi in Præfatione ad tomum secundum magni sui operis *Roma Sotterranea*, ubi de indiciis quibus ætatem diversarum partium cœmeterii Callistiani definivit : « Quamvis (ait) singula indicia, quia admodum minuta sunt et maxime arduum est ea verbis enuntiare et consignare scripto, sæpe videri possint nimis subtilia et non satis efficacia ad demonstrandum id quod intenditur, attamen mirabilis concentus qui in eorum complexu perspicitur, omnem vincit diffidentiam et dubium, saltem quoad summa capita et quoad lineamenta præcipua quibus hypogei chronologia per analysim architectonicam definitur. Cui conclusioni porro quum sponte concordent omnia ea quæ ab archæologia et historia repeti possunt, robore jam et auctoritate pollet inconcussa. Idemque dicendum de observationibus criticis et archæologicis. Qui nempe

methodo sophistica unumquodque indicium et unumquodque argumentum singillatim perpendere voluerit, is poterit certe singularum conclusionum vim eludere aut oppugnare; at nihilominus victas dare manus cogetur ubi omnium complexum et mirificam concordiam consideraverit, quibus mentem quamlibet prudentem et gravem ad assentiendum adduci necesse est. » Hactenus ille.

10. Denique generatim advertendum : 1° ex eo quod aliquod factum non demonstratur certo falsum, non sequi illud esse certo verum vel etiam probabile, nisi ex alia parte adsint rationes positivæ et validæ illud affirmandi. Sicut e converso ex eo quod non possunt afferri rationes satis certo factum demonstrantes non sequitur illud esse certo falsum : potest enim adhuc esse positive probabile. Quæ licet forte jam supra satis indicata sint, visum est tamen hic distinctius notare. Nonnulli enim, ubi opinionem aliquam, quæ ipsorum affectibus arridet, quibusdam testimoniis aut conjecturis satis incertis utcumque probabilem fecerunt, deinde argumentis, quæ in contrariam partem afferuntur, ita respondent ac si ageretur de re jam invictis rationibus demonstrata, tantummodo scilicet ad singula ostendere conantes non necessario et invicte per ea convelli opinionem suam. Quasi vero inquireretur quid absolute fieri potuerit, et non potius quid probabilius factum esse, secundum regulas quibus humanam fidem regi oportet, judicandum sit.

2° Neque etiam necessarium est, ad hoc ut factum aliquod admittatur, ut omnia argumenta quæ afferuntur in contrarium demonstrentur nullius esse momenti, sed ostendere sufficit rationes quæ ad illud admittendum impellunt rationibus contrariis longe præcellere. Ac denique

3° Cavendum semper est ne quid in conclusione ponatur ultra id quod evincitur, et gradum certitudinis quo evincitur per rationes allatas.

TRACTATIO II.

DE HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PARTITIONE.

—

1. Ad rite tractandam historiam ecclesiasticam vel aliam quamlibet multa tempora et res complectentem, necesse est eam ita in partes distribuere ut et singulæ partes legentibus seu discentibus distincte præsentes sistantur, et mutua earum connexio facile appareat, atque inde tota rerum series et complexus uno quasi mentis conspectu percipi possit. In qua distributione ratio habenda est tum successionis chronologicæ rerum, tum varietatis earum quæ simul seu synchronistice contigerunt. Duplex inde partitio instituenda, *chronologica* altera, altera realis seu *pragmatica*.

ARTICULUS I.

DE PARTITIONE SECUNDUM ORDINEM TEMPORUM.

2. Qui primi (imo usque ad extremum seculum XVII) historiæ ecclesiasticæ conscribendæ operam dederunt, fere res distribuerunt per singulos annos aut per singula

secula, ita ut quæ eo lapsu temporis in singulis regionibus, vel quoad certa rerum capita, ab Ecclesia vel in ea aut circa eam gesta essent, ex ordine enarrarent. Sed ista methodus, ut facile constat, parum accommodata est sive discentium memoriæ juvandæ sive silvæ rerum tractandarum ita disponendæ ut earum conspectus et perspicuus sit et jucundus. Itaque illiusmodi partitionem jam fere omiserunt novissimi scriptores et potius quasdam *ætates* seu *epochas* distinguunt, quarum singulæ suam quasi peculiarem faciem habent, idque ex quodam illustriori facto, quod cujusque ætatis exordio contigit, aut illam totam quasi replevit aut pervagatum est. Multi præterea singulas ætates in breviores periodos distribuunt, tum propter notas particulares quibus et has in sua quamque ætate insigniri existimant, tum ne nimis longam annorum seriem complecti cogantur cum legentium quadam defatigatione et fastidio. Ita nonnulli totius historiæ ecclesiasticæ sive ipsius Ecclesiæ tres ætates statuunt, *antiquam* scilicet, *mediam* et *recentiorem*, easque definiunt ex indole gentium inter quas Ecclesia iis ætatibus præcipue florebat. Prima itaque ea tempora complectitur quibus vigebant instituta et mores Imperii Græco-Romani, et extenditur usque ad extremum seculum VI vel VII; altera se porrigit usque post medium seculum XV, qua ætate Ecclesia societates a gentibus barbaris post eversionem Imperii Romani constitutas doctrinis suis imbuit et auctoritate rexit; tertia denique, quæ ad nostra usque tempora computatur, Eccle-

siam exhibet inter recentiores (ut aiunt) gentes et cultum versantem, imo et adversus illa luctantem ad doctrinas suas et disciplinam tuendas et conservandas. — Plures deinde in singulis ætatibus distinctas periodos assignant, sed non omnes eadem ratione.

3. Earum partitionum distinctiori recensione omissa, hanc præ aliis statuere et sequi visum est, quæ et ex eodem respectu semper desumitur et aptissima videtur ad eum scopum obtinendum quem maxime, imo solum, in hac re prosequendum supra indicavimus. Plurimas scilicet ætates distinguimus ex varia ratione consuetudinis seu habitudinis quæ variis temporibus intercessit inter Ecclesiam et potestatem laicam seu civilem, cui præcipue subjecti erant fideles. Unde sequentem distributionem historiæ ecclesiasticæ secundum ordinem temporum instituimus. Discernentur scilicet :

Ætas Prima, ubi *Ecclesia* a Judæis et ab Imperatoribus et magistratibus Græco-Romanis *impugnata* est, a tempore Ascensionis D. N. J. C. usque ad edicta in ejus favorem a Constantino M. promulgata ineunte seculo IV.

Ætas Secunda, qua Ecclesia versata est *sub tutela Imperatorum Græco-Romanorum,* usque ad exordia seculi VIII.

Ætas Tertia, qua versata est *sub tutela* regum et deinde *Imperatorum Francorum et Germanorum,*

usque ad Pontificatum S. Leonis IX seu medium seculum XI.

Ætas Quarta, qua Pontifices Romani supremam quamdam auctoritatem sibi compararunt et exercuerunt, quæ etiam aliquatenus ad res politicas se extendebat. Ætas illa producitur usque ad tempora Bonifacii VIII seu extremum seculum XIII.

Ætas Quinta, qua auctoritas S. Sedis depressa et humiliata est per infausta certamina Bonifacii VIII cum Philippo Pulchro, exilium Avenionense et magnum schisma Occidentale, usque paulo post exordium seculi XV.

Ætas Sexta, ubi plerique reges Ecclesiam et præsertim S. Sedem jam non ut matrem et magistram, sed fere eodem loco habere videntur quo societates civiles a sua distinctas et plus minus sibi æmulas : unde cum illa sicut cum his fœdera contrahere consueverunt, quibus quam plurima et maxima poterant commoda et auctoritatem sibi conciliare, quam minima vero illi concedere conabantur. Ita usque ad extremum seculum XVIII vel etiam usque ad annum seculi nostri trigesimum. — A quo tempore jam videtur computanda nova ætas, ubi omnimodam separationem (ut aiunt) Ecclesiæ et status politici procurare nituntur ii qui societatum civilium regimini præsunt.

ARTICULUS II.

DE PARTITIONE RERUM QUÆ IN SINGULIS ÆTATIBUS CONSIDERANDÆ SUNT.

4. Sub duplici iterum respectu historia ecclesiastica singularum ætatum tractandam se præbet : quatenus scilicet conspicitur Ecclesia in se ipsa seu quoad ea quæ intra eam sunt et aguntur, quæ historia Ecclesiæ *interna* dici potest, vel attenduntur ea quæ extra societatem ecclesiasticam fiunt, cum aliqua tamen dependentia vel relatione ad eam, ac proinde ad ejus quasi historiam *externam* pertinent.

5. Porro quum Ecclesia sit divinitus instituta ut societas hierarchica, cujus munus est conservare depositum doctrinæ revelatæ, a Christo Domino per seipsum et per Apostolos suos traditum, et per leges salutares informare Christi fideles ad bonos mores et vitam supernaturalem : hinc ad quatuor capita commode revocari potest historia Ecclesiæ *interna*. Quædam enim pertinent ad historiam *hierarchiæ* sacræ, quædam ad historiam *doctrinæ* catholicæ, quædam ad *disciplinam* et cultum ecclesiasticum, quædam denique ad *mores* christianos.

6. Quatuor item præcipue consideranda occurrunt in historia Ecclesiæ *externa*, videlicet ejus extensio seu propagatio apud gentes infideles aut quæ ab ea antea defecerunt; deinde ratio consuetudinis seu con-

sensus inter ipsam et auctoritatem civilem, vel contra; præterea quid contulerit ad mores et instituta publica mutanda et emendanda; ac denique quid circa profectum scientiarum humanarum et artium liberalium, vel etiam circa ea quæ ad vitæ commoditates per artes mechanicas et rerum commercia uberius et facilius procurandas spectant, illi attribuendum sit.

7. Hac ratione itaque historiam synchronisticam in singulis ætatibus considerandis distribuere visum est (1) :

1° Ut totius ætatis quasi conspectus commode haberi possit, brevem recensionem primo trademus præcipuorum eventuum qui hac ætate contigerunt et virorum illustrium qui tunc floruerunt. Hæc autem recensio quo facilius et ad memoriam juvandam aptius instituatur, rerum ordinem ita disponemus ut, seriem Romanorum Pontificum tamquam narrationis ducem sequentes, quid a singulis Pontificibus, et inde quid ab aliis sub eorum Pontificatu maxime memoratu dignum gestum fuerit, indicemus. Quæ autem prolixiorem tractationem postulant quam ut in continua narratione satis elucidari possint, ad speciales dissertationes remittimus.

8. Deinde, ad singula capita mox indicata procedentibus, non tamen semper eo ordine quo hic proponuntur (nam alia aliis secundum diversas ætates magis con-

(1) In *Compendio* scilicet *Historiæ Ecclesiasticæ*, quod post *Dissertationes selectas* edere in animo est.

spicua et majoris momenti quoad Ecclesiæ fata apparent), dicendum erit :

2° De propagatione religionis et Ecclesiæ catholicæ, apud quasnam gentes, per quos et quibus rationibus præsertim procurata fuerit.

3° De ratione agendi Ecclesiæ et S. Sedis erga potestatem civilem et vicissim, ut v. g. quid Ecclesia ab ea potestate requisiverit quidque illi concesserit circa res ecclesiasticas, et quam recte in his egerint prælati ecclesiastici et principes seculares.

4° De constitutione hierarchica regiminis ecclesiastici, quinam scilicet distinguerentur rectores et ministri rerum sacrarum, quonam singuli munere fungerentur et auctoritate gauderent, quænam adesset inter eos mutua ordinatio præcellentiæ et subjectionis : ubi speciatim de primatu et auctoritate Romani Pontificis in universam Ecclesiam et auctoritate Conciliorum.

9. 5° De historia dogmatum seu explicatione doctrinæ catholicæ. — Cujus tractationis quo melius appareant momentum et ratio, nonnulla jam hoc loco præmisisse juvabit. Itaque

Quo sensu a catholicis admitti possit et debeat historia seu explicatio dogmatum christianorum, fuse et optime exponit P. Franzelin in tractatu suo *De Divina Traditione* (1), Sect. IV. Ubi in primis hanc duplicem statuit thesim :

I. « Revelatio catholica in plenitudine temporis a

(1) Ed. Romæ, typis S. C. de Propaganda Fide, 1870.

Christo Dei Filio per seipsum et per Spiritum Sanctum in Apostolis completa censeri debet, ita ut non solum nova œconomia perfectioris ordinis et amplioris revelationis Dei ab antiquis nonnullis et recentioribus hæreticis conficta excludatur, sed etiam in œconomia præsenti nullum objectivum incrementum depositi fidei catholicæ, sacris Scripturis et apostolica traditione comprehensi, post Apostolos aut factum aut in Ecclesia militante adhuc exspectandum sit (1). »

II. « Rite constituta primum distinctione, qua veritates revelatæ inter se differunt tum ratione objecti materialis tum modo diverso prædicationis apostolicæ et traditionis, affirmandum est, posse esse et esse in deposito objectivæ revelationis veritates, quæ 1° non semper et ubique continerentur explicite in catholico intellectu et in manifesta prædicatione ecclesiastica; quæ ideo 2° aliquo tempore intra ipsos fines Ecclesiæ citra crimen hæresis in controversiam vocarentur; adeoque 3° posse quasdam veritates revelatas aliquo tempore esse obscuras, numquam tamen posse obscurari ita, ut adversus eas prævalcat oppositus et negans consensus (2). »

10. Quibus demonstratis subnectitur hoc scholion (3): « Ad clariorem intelligentiam hujus rei, quomodo fieri possit, ut de quibusdam veritatibus in revelatione comprehensis aliquo tempore in ipsa Ecclesia non satis

(1) Thes. XXII. Op. cit. p. 228. (2) Thes. XXIII. Ib. p. 238. (3) P. 244.

constet, considerandum est triplex veluti stadium explicationis quorumdam dogmatum, prout jam a Patribus, nominatim a S. Augustino, lucidissime distinctum est. *Primum* stadium est, quando nulla adhuc urgente controversia nec quæstione adhuc diligenter digesta, caput aliquod doctrinæ tenetur vel implicite in professione propositionis universalioris...; vel usu et praxi magis quam theoretica et distincta propositione ac instanti prædicatione..., cujusmodi exemplum est doctrina de baptismo ab hæreticis collato usque ad tempora Agrippini ineunte sæculo III.... *Alterum* stadium est, quando hujusmodi caput doctrinæ incipit vocari in controversiam, et ideo examinari et inquiri diligentius. Orta et durante controversia sine dubio fluctuatio aliqua inducitur, et apud aliquos major obscuritas quam fuerat ante controversiam, donec paulatim inquisitione ipsa sub assistentia et directione Spiritus Sancti res ad liquidum deducatur... Sequitur itaque *tertium* stadium, quando magisterii authentici solemni judicio vel aliter consensu invalescente de dogmatis revelatione jam certo constat, illudque quæstione eliquata transit in explicitum intellectum catholicum et in manifestam prædicationem ecclesiasticam. Hac autem manifesta consensione et explicita disertaque prædicatione posita, jam intra fines Ecclesiæ nec dissensio nec obscuratio dogmatis locum habere potest. »

11. Denique, ceteris omissis, ubi ostenditur rectus sensus celebris regulæ a Vincentio Lirinensi propositæ, et quanam ratione fiat explicatio dogmatum, et quænam

sint in ea re partes humani ingenii, quænam vero Ecclesiæ docentis, hanc totius de hac re tractationis conclusionem memorare juvat : « Consideranti patebit, [*a.*] explicationem ac propositionem dogmatum ejusque historiam cohærere cum historia revelationis [V. T. scilicet, evangelica et apostolica] ut cum suo fundamento præsupposito; [*b.*] necti intrinsece cum historia theologiæ ut cum consequenti et aliquatenus ut cum aliquo antecedenti elemento præparationis; [*c.*] copulari extrinsece cum historia hæreseon, a qua non tamquam a causa, sed tamquam ab occasione explicatio et explicationis modus quadam ratione pendet; [*d.*] patebit postremo, eandem historiam explicationis dogmatum constituere partem intimam historiæ ecclesiasticæ. » Hactenus P. Franzelin.

12. Cum hac doctrina autem optime concordant ea quæ tradunt alii de triplici gradu cognitionis et fidei explicitæ circa aliquam veritatem revelatam. Primo scilicet habetur tantum explicite *idea* seu *notio* quasi fundamentalis et primaria veritatis (sic v. g. quoad doctrinam de Verbo incarnato, Christum esse simul verum Deum et verum hominem). In qua notione continentur quidem omnia ea quæ post completam ejus evolutionem seu explicationem in illa perspicientur; sed hæc tunc solum explicite cognoscuntur, ubi per inquisitionem sub assistentia Spiritus S. in Ecclesia institutam tota veritatis *comprehensio* manifestata est. Quam denique manifestationem sequitur ejusdem jam completæ

veritatis, per auctoritatem Ecclesiæ docentis aut consensum apertum et moraliter universalem definita *formula*, quæ omnem controversiam intra limites Ecclesiæ deinceps præcidit ac proinde tamquam ultimus explicationis terminus consideranda est.

13. Porro ex prima parte conclusionis ex opere P. Franzelin supra citatæ (1) concludere non licet scriptores ecclesiasticos illos quos peculiaris venerationis significatione *Patres* appellamus, in explicatione doctrinæ catholicæ primum quasi gradum fecisse ab iis quæ in sacris litteris explicite enuntiata videntur, ita scilicet ut quidquid nobis jam in divina Scriptura satis perspicue propositum apparet, ipsis etiam saltem æque perspectum supponi debeat. Nam sicut Apostoli non semper, ubi Christus quasdam veritates illis proponebat, has statim intellexerunt (quod non semel in evangeliis notatum est), sed tunc solum integram Christi doctrinam assecuti sunt quum accepissent plenitudinem Spiritus Sancti, ita neque successores Apostolorum statim primis temporibus necessario perspexerunt quidquid continebatur in deposito fidei ipsis tradito, sed et ad ipsos, in serie seculorum secundum divinam ordinationem complenda, facta est illa Christi promissio : « Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis (2). » Nec ullum quoad

(1) Num. 11. (2) Joan. XIV. 26.

hæc privilegium divinitus concessum probatur Patribus præ aliis episcopis seu ecclesiarum pastoribus quavis ætate futuris. Proinde Patres, non singuli, sed consensu suo moraliter universali circa aliquam veritatem ut fide tenendam, auctoritatem infallibilem constituunt. Singuli præterea sunt testes historici fidei antiquæ, pii utique et (saltem pro tempore suo) docti, nulla tamen ad id muneris speciali prærogativa divinitus instructi (1). Quod ideo præsertim hic advertendum duxi, quod non pauci theologi, quamvis theoretice concedant Patres ut sic prærogativa infallibilitatis non gaudere, practice tamen numquam committere velle videntur ut eos, circa aliquam veritatem fidei nondum tempore illorum definitam scribentes, minus recte locutos esse fateantur, atque inde maxime violentas interpretationes eorum verbis supponere consueverunt.

14. Itaque, ut videtur, illa tantum *a priori* dicenda sunt a primis temporibus ac proinde omnibus Patribus nota fuisse, ita ut neque ea ignorasse neque ullum errorem circa ea admisisse supponi possint, quæ in symbolo quod dicitur Apostolorum *explicite* proposita sunt, et præterea, quoad doctrinam sacramentorum, ea quæ ita necessario scire oportet, ut secus sacramenta vel omnino non administrarentur vel frequenter invalide : hæc enim adeo essentialia sunt professioni fidei

(1) Neque huic assertioni obstat, sed potius eam confirmat quod de *singulari Patre* notat Petavius Præfat. De Trinit. cap. 3. n. 5. « Athanasio, ait, *præ ceteris Patribus* exquisita et liquida catholici de Trinitate dogmatis intelligentia *concessa divinitus* videtur, ut Basilius, Gregorius Nazianzenus aliique passim prædicant. »

christianæ et muneri Ecclesiæ commisso, ut ea aliquo tempore obscurata fuisse admitti nequeat. Circa cetera autem, illud tantummodo *a priori* statuere licet quod supra indicatur, numquam scilicet prævaluisse negantem consensum adversus veritatem revelatam, quæ postea definita sit vel adhuc definiri possit. Quid autem re ipsa senserint singuli Patres circa ea quæ nunc ad explicitam fidem pertinent, ex eorum scriptis dijudicandum est secundum communes interpretandi regulas. Quibus et hanc adjiciendam libenter consenserim, quædam scilicet *obscuriora* quorumdam Patrum loca explicari posse sensu forte minus obvio, sed magis consono communi doctrinæ aliorum *ejusdem ætatis* et *ejusdem regionis;* non tamen ex doctrina ætate sequiori aut in alia orbis christiani regione recepta, neque ubi appareat illos non loqui tamquam *testes traditionis* seu non referre id quod vulgo creditum existimant, sed acumine ingenii et ope ratiocinii deductas quasdam explicationes doctrinarum fidei voluisse suggerere.

15. Hæc paulo fusius præmonenda erant ad historiæ dogmatum tractationem. — Præterea autem agendum erit :

6° De disciplina ecclesiastica, seu de legibus per legitimam auctoritatem pro universa Ecclesia aut pro aliqua ejus præcipua parte latis, circa cultum divinum et observationem festorum ac liturgiam, circa sacramentorum administrationem, pœnitentiæ ritum, electiones episcoporum, et alia ejusdem generis.

7° De moribus christianorum seu eorum vita privata, quam casta et sancta fuerit, de charitate eorum erga egenos, de modo agendi cum iis qui extra Ecclesiam versabantur, etc.

8° De emendatione institutorum et morum publicorum per indirectum quidem, sed efficacem influxum doctrinæ evangelicæ, ut præsertim primis temporibus circa jus servile, circa jus matrimoniale, etc.

9° Denique et de parte quæ attribui potest Ecclesiæ quoad profectum in litteris, scientiis et artibus ingenuis et ceteris etiam quæ maxime ad cultiorem humanæ vitæ usum spectant.

TRACTATIO III.

DE FONTIBUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

—

Maxime juvat, imo omnino necesse est, aggredientem historiæ ecclesiasticæ studia notitiam habere monumentorum quæ nobis servavit superiorum ætatum sedulitas. Horum monumentorum autem triplex imprimis genus distinguere licet : unum scilicet documenta complectens præcipue ad res ecclesiasticas spectantia, eaque primæva seu originalia; alterum documentorum pertinentium potius ad res profanas, unde tamen et quædam ad ecclesiasticam historiam illustrandam hauriri possint, tertium denique continens recentiorum lucubrationes secundum ea quæ habentur per fontes adhuc exstantes elaboratas. Porro secundum et tertium genus potius *subsidiorum,* primum vero *fontium* nomine insigniri solent. De hoc solo in præsenti tractatione agendum erit, subsidiorum consideratione ad proxime sequentem reservata.

Neque tamen etiam in præsenti omnes fontes singillatim recensere in animo est : quod et nimis prolixam

tractationem efficeret et minus convenire videtur materiæ hujus operis, quod *Introductio generalis* ad historiam ecclesiasticam inscribitur. Itaque rursus ad introductiones speciales quæ præmittentur dissertationibus circa præcipuas quæstiones in historia uniuscujusque e sex ætatibus supra indicatis (1) occurrentes, recensionem fontium ad illarum singulas pertinentium, imo et ad proœmium singularum dissertationum indicationem eorum qui ad quæstiones particulares enodandas præcipue usui esse possunt, rejicimus. Nunc autem collectiones solummodo fontium vel etiam quasdam eorum classes magis generales, quæ ad omnes aut plures historiæ ecclesiasticæ ætates pertinent, quam brevissime fieri potest, describere propositum est.

Inter quæ primum locum obtinebunt collectiones documentorum quæ ad historiam Ecclesiæ universalis tractandam consulenda sunt. Inde duplici capite considerabimus ea quæ speciatim spectant ad acta Sanctorum et ad historiam Romanorum Pontificum. Postea vero quæ pertinent ad historiam Ecclesiarum particularium et Ordinum religiosorum. Denique capite ultimo pauca dicemus de monumentis non scriptis et mixtis, quorum mentionem, ubi de fontibus historiæ ecclesiasticæ agitur, negligere nefas est.

(1) Cfr. supra Tract. II. N. 3. (p. 53.)

CAPUT I.

DE DOCUMENTIS AD HISTORIAM ECCLESIÆ UNIVERSALIS PERTINENTIBUS.

—

1. Documenta hæc vel publica sunt, vel privata (1). Privatorum autem scriptorum rursus duplex genus distinguere juvat : alterum nempe eorum qui historiam suorum vel præteritorum temporum, ex professo, ut aiunt, posterorum memoriæ tradere intenderunt; alterum vero eorum qui, alia quidem tractantes, non paucas notitias historicas reliquerunt passim in libris suis consignatas. De singulis his generibus agetur articulis secundo et tertio, de documentis publicis articulo primo.

ARTICULUS I.

DE DOCUMENTIS PUBLICIS.

2. Horum etiam variæ classes discerni possunt, videlicet :

I. **Acta Summorum Pontificum :**

a. *Epistolæ Romanorum Pontificum et quæ ad*

(1) Cfr. supra Tract. I. Cap. II. N. 1. (p. 9.)

ipsos scriptæ sunt. Pars I (1). *Ed. Pet.* COUSTANT (2). — Quam collectionem rursus edere instituit SCHŒNEMANN (3), ac recens continuavit usque ad annum 523 Andr. THIEL (4). — Inde autem non habetur generalis ejusmodi collectio, sed ejus locum supplere potest præclarum opus quod edidit Ph. JAFFÉ (5), hoc titulo insignitum : *Regesta* (6) *Pontificum Romanorum ab condita Ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII.* In quo scilicet reperitur accurata recen-

(1) Sola edita : pertingit usque ad S. Leonem M. seu an. 440.

(2) Paris. 1721. fol.

(3) *Epistolarum RR. PP.... Ex recensione P. Coustantii.* Tom. I. Gottingæ 1796. 8. — Ulterius progressa non est ea editio.

(4) *Epistolæ RR. PP... a S. Hilaro usque ad Pelagium II. Tom. I. A S. Hilaro ad S. Hormisdam* (an. 461-523). Braunsberg 1868. gr. 8.

(5) Berolini 1851. 4.

(6) De *Regestis* ita Jaffé (præf. p. III) : « Erant autem regesta ii libri, in quos ecclesiæ Romanæ notarii epistolarum pontificiarum exempla regerebant. Quorum librorum necessitatem probabile est sedi apostolicæ jam prioribus sæculis, quum cresceret auctoritas, obvenisse, sed confici quando cœperint incompertum habetur. Etenim vetustissima, quorum tenemus notitiam et quæ nobis eadem servata esse gaudemus, regesta sunt Gregorii I; atque quamquam jam duobus sæculis ante eum Bonifacius I de quibusdam decessorum suorum *monimentis* in *scrinio* sedis apostolicæ reconditis mentionem facit, neque alia hujusmodi vestigia absunt, pontifices quinto Christi sæculo immo vero etiam quarto usos scrinio sive tabellario esse (cf. Coustant Ep. Rom. pont. p. XLVI), non potest tamen certe effici, aut Leonem I aut alium de pontificibus Gregorio I superioribus universarum suarum epistolarum colligenda exempla curasse. At a successoribus ejus ex contrario retentus sine dubio usus regestorum est. Quod quidem jam demonstravit Pertzius in Archiv V. 28 et 87 cet..... — Verum ex tam multis tamque eximiis sæculorum sex monimentis non retinemus nisi ea, quæ supra diximus, Gregorii I regesta, fragmentum eorum, quæ sunt sub Joanne VIII conscripta, Gregorii VII non primitiva regesta potius quam collectionem ex iis delibatam. Reliqua evanuerunt omnia usque ad Innocentium III; a quo quidem pontifice procedit ad Pium V perpetua voluminum 2016 series, quæ seposita in tabulario Vaticano sunt (v. Pertz. l. l. et Marini Diplom. pontif. p. 7 et 8). »

sio (1) epistolarum, bullarum, privilegiorum a RR. PP. editorum, sicut et conciliorum quæ sive Romæ sive aliis locis celebrarunt, adjectis singulorum actorum summario et indicatione librorum ubi reperitur eorum textus, imo et ipso textu, quando is adhuc ineditus est. Sed et præterea ea illius generis documenta indicantur quæ jam dudum deperdita sunt, sed in aliis documentis publicis vel privatis memorata reperiuntur. — Continuationem horum regestorum nuper aggressus est sub auspiciis Academiæ Berolinensis Aug. Potthast (2), eamque jam quatuor fasciculis ad annum 1225 perduxit (3). At non pauca in hac parte operis desiderari ostendit Pressutti (4), cujus libellus omnino tanquam supplementum illius adhibendus est (5).

3. *b.* *Decretales* (6) jussu *Gregorii IX* S. P. (an. 1230-1234) collectæ libris quinque, qui singuli dividuntur in titulos, tituli in capita sive canones, hæc ubi

(1) Quibusdam tamen, sicut fere in hujusmodi operibus tantæ molis usu-venire solet, prætermissis. Cfr. examen criticum libri Jaffé institutum ab Em. Card. J. B. Pitra in Periodico *Le Correspondant*, t. XXX. p. 515 et t. XXXI. p. 317.

(2) *Regesta Romanorum Pontificum inde ab an. post Christum natum MCXCVIII ad an. MCCCIV.* Berolini 1873. 4.

(3) Opus constabit viginti fasciculis 200 circiter paginarum.

(4) *I Regesti de' Romani Pontefici dall' anno* 1198 *all' anno* 1304 *per Aug. Potthast. Osservazioni storico-critiche dell' abbate Pietro Pressutti.* Roma 1874. 8.

(5) Epistolas RR. PP. tum genuinas, tum apocryphas, usque ad Innocentium III inclusive, exhibet etiam Migne in sua Patrologia latina passim.

(6) Constitutiones scilicet vel epistolæ RR. PP., quibus aliquid *decretum* est circa jus ecclesiasticum.

prolixiora sunt, in paragraphos (1). Quibus deinde accessit liber *Sextus* Decretalium Bonifacii VIII, postea *Clementinæ* seu Decretales datæ a Clemente V, ac denique *Extravagantes* (2) *Joannis XXII* et *Extravagantes Communes* (3). — Collectio ista, quam exhibet *Corpus Juris Canonici* in sua posteriori parte, legitima auctoritate in Ecclesia gaudet. Nullam vero hujusmodi auctoritatem habet collectio decretorum seu *Decretum* Gratiani (4), quod in priori parte Corporis

(1) Liber 1^us^ titulis 43, post præmissam (tit. 1) professionem fidei de SS. Trinitate et (tit. 2-4) decreta non pauca de constitutionibus, de consuetudine et de rescriptis, agit de personis ecclesiasticis, prælatis et judicibus sacris; liber 2^us^ titulis 30, de processu judiciali; liber 3^us^ titulis 50, de clericorum secularium et regularium vita, obligationibus et rebus; liber 4^us^ titulis 21, de sponsalibus et matrimonio; liber 5^us^ titulis 41, de delictis et eorum pœnis. — Maxima autem pars illarum decretalium excerpta est ex epistolis pontificum a Gregorio I ad Gregorium IX; reliquam conficiunt testimonia Scripturæ, canones qui dicuntur Apostolorum, decreta Conciliorum, sententiæ Patrum et aliorum quorumdam auctorum in regulas juris assumpta.

(2) Id est, quasi *extra* corpus juris (hucusque constitutum) *vagantes*.

(3) Omnia illa additamenta, præter Extravagantes Joannis XXII, quæ 14 titulis continuis constant, eamdem librorum et materiæ partitionem exhibent quam Decretales Gregorii IX, minori tamen titulorum numero. — *Sextus* collectus est ex posterioribus Gregorii IX et sequentium usque ad Bonifacium VIII pontificum decretis et rescriptis. *Clementinæ* autem et *Extravagantes Joannis XXII* complectuntur constitutiones eorum quorum nominibus inscribuntur. *Extravagantes Communes* exhibent decretales variorum pontificum ab Urbano IV ad Sixtum IV.

(4) *Corpus Decretorum* seu *Decretum* primum editum est Bononiæ anno 1150. Dividitur autem in tres partes. Quarum 1^a^ continet Distinctiones 101, quæ et singulæ plures Canones exhibent, agitque de jure et de personis ecclesiasticis; 2^a^ complectitur Causas 36, quæ in quæstiones, hæ autem in Canones (excepta Causæ 33^æ^ Quæstione 3^a^, quæ *de Pœnitentia* inscribitur, ac prius in Distinctiones, deinde in Canones scinditur), agitque universim de judiciis et negotiis sacris; 3^a^ Pars, quæ inscribitur *de Consecratione*, Distinctionibus quinque in Canones rursus divisis, tractat ea quæ pertinent ad sacram liturgiam et ad baptismum ac confirmationem.

Juris Canonici exhibetur. At quædam in ea compilatione constitutiones servatæ sunt quæ nusquam alias reperiuntur : in quibus tamen adhibendis non adeo fidendum est inscriptione quam iis indidit collector, ut certo dicantur esse illorum pontificum quibus eas attribuit, nisi id aliunde constet.

4. ***c.*** *Bullarium Romanum* seu *Bullarum, privilegiorum ac diplomatum RR. PP.* (1) *Collectio,* quam (2) edidit C. Cocquelines (3). At in ea collectione non pauca desiderantur. Nuper autem incepta est nova editio (4), multis aucta.

5. ***d.*** *Liber diurnus RR. PP.*, in quo solemnes epistolarum aliarumque rerum ecclesiasticarum formulæ a RR. PP. et curia Romana antiquitus usurpari solitæ collectæ sunt. Quisnam autem primus has formulas collegerit hactenus ignoratur; collectio ipsa quam nunc habemus videtur, saltem ex parte, facta Gregorio II S. P. seu exordio seculi VIII. Opus diu suppressum

(1) Inde a S. Leone M. seu anno 450.

(2) Post minus completas quæ Romæ prodierunt annis 1550, 1559, 1579, et jam multis auctas opera utriusque Cherubinii ann. 1586 et 1634; quæ ultima cum variis supplementis iterum prelo commissa est Lugduni an. 1673 ac demum Luxemburgi (seu Genevæ) an. 1727 (14 vol. fol.).

(3) Romæ 1739. 28 vol. fol. — Continuata postea usque ad annum quintum Gregorii XVI, opera Barberi et aliorum. Romæ 1835. 20 vol. fol.

(4) Taurini 1857. 4. — Hujus editionis prodiit anno 1871 tomus XXII usque ad an. 1730 pertingens. — Præterea in eadem civitate in lucem emissus est anno 1867 tomus primus (a Leone M. ad Pelagium II seu an. 446-590) *Appendicis ad Bullarium Romanum,* in quam relata sunt documenta in antiquioribus Bullarii editionibus prætermissa.

edidit J. Garnier (1) et recens accuratissime Eug. de Rozière (2).

6. *e.* Quibus adjungi possunt præclara collectio, his ultimis annis edita ab Aug. Theiner, quæ inscribitur *Codex diplomaticus dominii temporalis Sanctæ Sedis* (3), et altera edita a Vic. Nussi, in qua exhibentur *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem variis formis initæ* (4).

7. II. Acta Conciliorum.

Quorum (5) quintuplex ex ordine prodiit generalis collectio, videlicet :

α) *Conciliorum omnium Collectio Regia* (6). β) *Sacrosancta Concilia*, studio Ph. Labbei et Gab. Cossartii (7). γ) *Conciliorum collectio*, studio J. Harduini (8). δ) *Sacrosancta concilia...* curante Nic. Coleti (9). ε) *Sacrorum Conciliorum nova et amplis-*

(1) Parisiis 1680. 4. — Garnerianam editionem, post Hoffmann et Riegger, repetiit Migne, P. L. Tom. CV.

(2) *Liber diurnus, ou recueil des formules usitées par la chancellerie pontificale du V^e^ au XI^e^ siècle....* Paris 1869. gr. 8.

(3) Romæ 1862. 3 vol. fol.

(4) Mogunt. 1871. gr. 8.

(5) Præter Collectiones antiquiores et minus completas Merlini, Joverii, Crabbei, Surii, Bollani, Binii ac Romanam, et præter particulares collectiones de quibus infra, ubi agetur de documentis ad singulas ecclesias vel provincias ecclesiasticas spectantibus.

(6) Paris. 1644. 37 vol. fol.

(7) Paris. 1671. 17 vol. fol. Quibus deinde sub titulo *Nova Collectio Conciliorum* (quam scilicet edere voluit, sed non perrexit) supplementum addidit Steph. Baluzius. Paris. 1683. 1 vol. fol.

(8) Paris. 1715. 12 vol. fol.

(9) Venetiis 1728. 25 vol. fol. — Supplementa adjecit J. D. Mansi, Lucæ 1748. 6 vol. fol. — Continuationem vero usque ad nostra tempora exhibebit *Collectio Lacensis* nuper Friburgi Brisgaviæ edi cœpta.

sima Collectio... cur. J. D. Mansi (1). His collectionibus inserta sunt Acta Conciliorum, tum generalium tum particularium (vel, si desiderentur Acta, ea quæ apud scriptores veteres de iis memorata repererunt editores), cum præcipuis documentis et notis quæ ad eorum historiam illustrandam juvare possunt. Item epistolæ et decreta Romanorum Pontificum, tum genuina, tum apocrypha (2). Denique et non pauca principum civilium circa res ecclesiasticas diplomata et leges.

8. III. **Leges ecclesiasticæ.**

Quas (præter Corpus Juris Canonici et Acta Conciliorum, de quibus supra) speciatim referunt:

a. *Bibliotheca juris canonici veteris,* ed. a G. Voello et H. Justello (3);

b. *Juris ecclesiastici Græcorum historia et monumenta,* curante J. B. Pitra (4);

c. Libri pœnitentiales antiqui, qui editi reperiuntur in Dacherii *Spicilegii* (5) Tom. I, in H. Canisii *Antiquarum Lectionum* (6) Tom. II. Part. II, et apud J. Morinum ad calcem *Commentarii de Pœnitentia* (7). Quibus accedit collectio pœnitentialium ecclesiæ

(1) Florent. et Venet. 1759. 31 vol. fol.

(2) Usque ad Innocentium III exclusive. — Ex quibus tamen epistolis et aliis documentis adjectitiis non pauca omisit Harduinus.

(3) Paris. 1661. 2 vol. fol.

(4) Tom. I. A primo ad VI seculum. Romæ 1864. fol.

(5) Ed. de la Barre. Paris. 1723. fol.

(6) Ed. Basnage. Amstelæd. 1725. fol.

(7) Paris. 1651. Antverp. 1682. fol.

occidentalis, quam recentius in lucem emisit Wasserschleben (1).

d. Quoad recentiora tempora *Decreta* et *Responsa* Congregationum Romanarum (2).

9. IV. **Monumenta liturgica.**

Hæc præcipue exhibent :

a. Assemani (J. A.), *Codex liturgicus ecclesiæ universalis* (3). — Daniel, *Codex liturgicus ecclesiæ universalis* (4) et *Thesaurus hymnologicus* (5). — Adde quæ habentur apud Martene, *De antiquis Ecclesiæ ritibus* (6) et inter Thomasii *Opera* (7).

10. *b.* Renaudot (Eus.), *Liturgiarum orientalium collectio* (8). — Denzinger, *Ritus orientalium* (9).

Missa (et alii ritus sacri) *Æthiopum* (10). — Kircher, *Rituale Ecclesiæ Ægyptiacæ sive Cophtitarum*, ex lingua Copta et Arabica in latinam translatum (11). — *Missa qua utuntur antiqui Christiani episcopatus*

(1) *Die Bussordnungen der abendländischen Kirche.* Halle 1851. gr. 8.

(2) De bibliographia fontium juris ecclesiastici plura videsis apud G. Phillips, *Kirchenrecht*, 4 Band (Regensburg 1851. 8.) vel *Lehrbuch des Kirchenrechts* (2e Aufg. Regensburg 1871. gr. 8), Erstes Buch.

(3) Romæ 1749. 13 vol. 4.

(4) Lipsiæ 1847. 4 vol. gr. 8.

(5) Lipsiæ 1841. 5 vol. 8.

(6) Antverpiæ 1763. 3 vol. fol.

(7) Romæ 1747. 7 vol. 4. — Quæ sequuntur, videntur primo aspectu potius pertinere ad historiam ecclesiarum particularium. Ea tamen hoc loco indicanda duximus, quia vix fieri potest ut in hujusmodi documentis distinguantur quæ ad liturgiam particularem quarumdam ecclesiarum, quæ vero ad antiquiorem et magis universalem referenda sint.

(8) Paris. 1716. 2 vol. 4. Francof. 1847. 2 vol. 4.

(9) Wirceburgi 1863. 2 vol. 8.

(10) Bibl. PP. Lugdun. t. XXVII, et inde ap. Migne, P. L. t. CXXXVIII. p. 907.

(11) Ap. L. Allatium, *Symmict.* lib. I. p. 236.

Angamallensis in regno Malabarico (1), ex Syriaco in latinum conversa ab Alexio Manelio archiepiscopo Goano (2).

Sainctes (Claud. de), *Liturgiæ sive missæ sanctorum patrum Jacobi apostoli, Basilii, Joannis Chrysostomi* (3). — Habert, *Archieraticon, sive liber pontificalis ecclesiæ græcæ* (4). — Goar, *Euchologium sive rituale Græcorum* (5). — Genebrardus, *Missa seu liturgia Græcorum et officium eorum de mysteriis ante consecratis sanctæ quadragesimæ tempore* (6). — Quirini, *Officium quadragesimale* (7). — Cari, *Officium dominicæ passionis feria sexta majoris hebdomadæ, secundum ritum Græcorum* (8). — Pitra, *Hymnographie de l'église grecque* (9).

11. *c.* Pamelius, *Liturgica Latinorum* (10). — *Missa latina* antiqua, quam primus edidit Matthias Flaccius Illyricus; deinde, præter alios catholicos, Card. Bona in primo tomo sui magni operis de rebus liturgicis (11). — Mone, *Hymni latini medii ævi* (12).

Mabillon, *Antiqui libri rituales sanctæ Romanæ*

(1) Qui vulgo Christiani S. Thomæ dici soliti sunt.

(2) Bibl. PP. Lugdun. t. cit. p. 670.

(3) Antverpiæ 1560. 8. — Easdem, cum liturgiis Marci et Clementis, recentius edidit J. M. Neale. (2ª Edit.) Lond. 1868. 8.

(4) Paris. 1643. fol.

(5) Paris. 1647. Venet. 1730. fol.

(6) Bibl. PP. Lugdun. tom. cit. p. 645.

(7) Tom. I. Romæ 1721. 4.

(8) Romæ 1695. 8.

(9) Romæ 1867. 8. — De menæis Græcorum sermo erit Cap. seq.

(10) Coloniæ 1571. 2 vol. 4.

(11) Inde ap. Migne, P. L. t. CXXXVIII. p. 1305.

(12) Friburgi Brisg. 1853. 3 vol. 8.

ecclesiæ (1). — Cari, *Responsalia et antiphonaria Romanæ Ecclesiæ* (2) et *Antiqui libri missarum Romanæ ecclesiæ* (3). — Muratori, *Liturgia Romana vetus* (4). — Meuschenius, *Cæremonialia electionis et coronationis pontificis romani* (5). — Quibus addenda Missale, Rituale, Pontificale, Cæremoniale, Breviarium Romana, sæpius edita.

Thomasius, *Liturgia antiqua Hispanica* (6). — *Missale mixtum* (7) seu Mozarabicum et *Breviarium mixtum* (8) seu Mozarabicum.

Thomasius, Missalia gallicana (9). — Mabillon, *Liturgia gallicana* (10). — Moleon (de), *Itinera liturgica gallicana* (11). — Mone, Undecim missæ gallicanæ (12).

Gerbert, *Monumenta veteris liturgiæ Alemannicæ* (13).

(1) In tomo II Musei Italici, et inde ap. Migne, P. L. t. LXXVIII. p. 851.

(2) Romæ 1686. 4.

(3) Romæ 1691. 4.

(4) Venetiis 1748. 2 vol. fol. — Complectitur sacramentalia attributa Leoni M., Gelasio et Gregorio M. RR. PP. (quæ seorsim edita reperiuntur P. L. tt. LV, LXXIV et LXXVIII). Accedunt missale gothicum, missale Francorum, duo gallicana et duo vetustissimi romanæ ecclesiæ rituales libri.

(5) Francofurti 1732. 4.

(6) Romæ 1741. 2 vol. fol.

(7) Ed. primum Toleti opera Card. Ximenez an. 1500. fol. Inde curante Lesleo Romæ 1755. 2 vol. 4. Iterum opera Card. Lorenzana, Romæ 1804. fol. ac tandem P. L. t. LXXXV.

(8) Toleti 1502. fol. Matriti (op. Lorenzana) 1755 et 1788. fol. — Inde P. L. t. LXXXVI.

(9) Romæ 1680. 4.

(10) Paris. 1685 et 1720. 4. — Inde P. L. t. LXXII.

(11) Paris. 1718. 8.

(12) *Lateinische und griechische Messen aus dem zweiten bis sechsten Jahrhundert.* Frankfurt 1850. — Inde P. L. t. CXXXVIII. p. 863.

(13) Typis San-Blasianis 1777. 2 vol. 4. — Inde quædam P. L. t. CXXXVIII. p. 950.

ARTICULUS II.

DE SCRIPTORIBUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

12. Nihil aliud in præsenti articulo propositum est quam ut scripta circa historiam ecclesiasticam antiquiora typis impressa, sub uno conspectu, quanto compendio fieri potest, colligamus, distinctiorem singulorum descriptionem ad Introductiones speciales, recentiora vero ad sequentem Tractationem reservantes. Quod quo magis perspicue fiat, seorsim scriptores græcos, dein alios orientales, denique latinos et alios occidentales considerare juvabit.

§ 1. De scriptoribus historicis græcis.

13. Hos duplex præcipue collectio exhibet. Altera, quæ inscribitur *Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ Veteres,* continet egregium opus quod de hoc argumento decem libris conscripsit Eusebius Cæsariensis, cum ejusdem *Vita Constantini* et *panegyrica oratione de laudibus Constantini;* præterea *historias ecclesiasticas,* quibus rerum sacrarum narrationem a tempore quo desiit Eusebius, anno scilicet 324, ad sua usque tempore seu ad annum circiter 440 prosecuti sunt Socrates, Sozomenus et Theodoretus; denique fragmenta quæ supersunt ex historiis ecclesiasticis Philostorgii hæretici Eunomiani, Theodori lectoris et Evagrii. Hæc omnia, ab Henr. Valesio diligentius recognita

et edita cum versione latina et egregiis adnotationibus (1), rursus novis elucidationibus adjectis evulgavit G. Reading (2).

14. Altera collectio titulum præ se fert *Corpus scriptorum historiæ Byzantinæ*. Eam primum in lucem emiserunt (3) Combefisius, du Cange et alii quidam viri eruditi, recentius vero longe præstantiorem et copiosiorem Niebuhr, Bekker, Schopen, G. et L. Dindorf aliique (4). Nullos quidem hæc exhibet scriptores *historiæ ecclesiasticæ* seorsim spectatæ, præter Anastasium Bibliothecarium, qui hujusmodi historiam confecit ex chronographiis adhuc exstantibus; sed non paucas historias particulares imperatorum aut eventuum quorumdam præcipuorum et Chronica vel Annales, quæ ecclesiasticis non minus quam profanis rebus illustrandis juvant. Horum insigniores scriptores citari possunt auctores *Chronici Paschalis* seu *Alexandrini*, Joannes Antiochenus, cognomento Malala, Georgius Syncellus, Theophanes uterque, Isauricus et Byzantinus, Nicephorus Constantinopolitanus, Georgius Cedrenus, Joannes Zonaras, Michael Glycas, Constantinus Manasses.

15. In neutra autem earum collectionum comparent Nicephorus Callisti, qui seculo XIV *historiam eccle-*

(1) Paris. 1659 sqq. Mogunt. 1672. 3 vol. fol.

(2) Cantabrigæ 1720. Taurini 1748. 3 vol. fol.

(3) Paris. 1645-1711. 39 (alii plura aut pauciora numerant) vol. fol. — Minoris apud eruditos pretii habetur editio Veneta 1722-33. 23 (al. 27 aut 35) vol. fol.

(4) Bonn. 1828-55. 48 vol. 8.

siasticam (1) a Chr. nato ad annum 610; Georgius Hamartolus (2) et Julius Polydeukus seu Pollux (3), qui seculis IX et X *chronica* conscripsere ab orbe condito ad sua usque tempora, ex aliis, quæ non omnia exstant, excerpta (4).

§ 2. De aliis scriptoribus historicis orientalibus.

16. I. Scriptorum **Armeniorum** (præter hagiographos, de quibus sermo erit capite sequenti) collectionem in lucem emittere instituit nostris temporibus egregius bibliopola Parisiensis Firm. Didot, cujus duplex hucusque pars vulgata est : altera curante E. Dulaurier, Chronicon continens Matthæi Edesseni ejusque continuatoris Gregorii Presbyteri (5), tomo unico; altera opera V. Langlois, duobus tomis exhibens tum scriptores græcos et syros deperditos, quorum lucubrationes in versionibus armeniacis servatæ sunt, tum ipsos

(1) Ed. latine cur. J. Langio. Basil. 1560. fol. — Gr. et lat. cum vers. J. Langii et rec. Frontonis Ducæi. Paris. 1630. 2 vol. fol.

(2) Ed. Petropoli 1859. 8.

(3) Ed. Bononiæ 1779. fol. (adj. editioni Paris. Corp. Scriptt. Byz., sub titulo *Anonymi Historia sacra*). — Monach. 1792. 8. — Utraque editio non procedit ultra annum 377.

(4) De chronico Eusebii Cæsariensis, qui armeniace solum adhuc exstat, dicetur infra N. 17.

(5) *Bibliothèque historique arménienne ou Choix des principaux historiens arméniens, trad. en français et accompagnés de notes historiques et géographiques, par E. Dulaurier.* 1. *Chronique de Matthieu d'Edesse, continuée par Grégoire le Prêtre.* Paris 1858. 8.

scriptores armenios præstantiores IV et V seculorum (1). — Præterea opera ejusdem DULAURIER recens prodiit tomus I collectionis documentorum armeniacorum ad historiam expeditionum quas vocant Cruciferorum spectantium, excerpta complectens ex scriptoribus armeniis diversis undeviginti (2).

17. Præterea edita habemus versionem armeniacam *Chronici* EUSEBII CÆSARIENSIS (3), cujus textus græcus jamdudum interiit, præter quædam fragmenta apud chronographos græcos posteriores servata, nec satis suppletur per versionem latinam interpolatam S. Hieronymi; et *Chronicon* armeniace scriptum sec. XII a SAMUELE ANIANENSI (4).

18. Nullæ autem, quantum novi, habentur collectiones aliorum scriptorum orientalium, sed tantummodo scripta historica seorsim edita, videlicet præcipue :

(1) *Historiens anciens de l'Arménie, traduits en français et publiés par Victor Langlois.* Paris 1867. 2 vol. gr. 8. — Tomus I exhibet opera græce vel syriace scripta, quorum textus primigenius interiit et servata est tantum versio armeniaca, videlicet Græcorum AGATHANGELI et FAUSTI BYZANTINI, Syrorum MAR APAS CATINA, BARDESANIS, LEROUBNA Edesseni, ZENOB Glagensis ejusque continuatoris JOANNIS MAMIGONII. — Tomus II vero scriptores armenios sec. IV et V, GORIUN, MOYSEN KHORENENSEM (cujus *Historia Armeniæ* sæpius antea, speciatim opera WHISTONIORUM fratrum Londini 1736. 4. armeniace cum versione latina et notis, sed minus accurate, edita fuit), ELISÆUM (Historia belli Armenorum duce Vartano adversus Persas, etiam pluries ante edita), et LAZARUM Pharbezanum (Historia Armeniæ sec. V. ed. antea armeniace Venetiis 1793 et 1807).

(2) *Recueil des Historiens des Croisades, publié par les soins de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres. Documents arméniens. Tom. I.* Paris, imprimerie impériale, 1869. fol.

(3) Ed. armen. et lat. J. B. AUCHER. Venetiis 1818. fol. — Lat. tantum cura Ang. MAII et J. ZOHRABI Mediolani 1818. 4. Et rursus Romæ 1833 in MAII collectione *Scriptorum Veterum* t. VIII. — Hinc ap. Migne, P. G. t. XIX.

(4) Ed. lat. ad calcem Chronici Eusebiani, Mediolani 1818.

II. **Syriace :** Joannis Ephesini *Historiæ ecclesiasticæ* pars tertia (1); et *Chronicon* Bar-Hebræi (2).

19. III. **Arabice :** Eutychii patriarchæ Alexandrini *Annales* (3). — Quædam etiam ad historiam ecclesiasticam scitu utilia præbere possunt Al-Makrisii *Narratio de expeditionibus a Græcis Francisque adversus Dinujatham ab an. Chr.* 708 ad 1221 *susceptis* (4) et Ibn-Kalduni *Narratio de expeditionibus Francorum in terras islamismo subjectas* (5).

§ 3. De scriptoribus historicis occidentalibus.

20. Hi editi reperiuntur sive in collectionibus generalibus scriptorum ecclesiasticorum, de quibus sermo erit articulo sequenti, sive in collectionibus fontium ad singularum nationum historiam spectantium, de quibus in Tractatione quarta (6). Porro quum adeo magna sit eorum copia ut sub uno conspectu commode exhiberi nequeant, juvabit eos in plures classes seu ætates distribuere. — In prima igitur referentur scriptores ii qui floruerunt antequam in Occidentali antiqui Imperii

(1) Syriace ed. Cureton. Oxford 1853. 4.

(2) Post alias editiones minus completas jam integre et accurate in lucem emissum, opera Th. Lamy et J. B. Abbeloos, Lovanii 1872-74. 2 vol. gr. 8. — Exspectatur mox edendus tomus tertius et ultimus.

(3) Cum versione latina et commentario J. Seldeni. Londin. 1642. 4. — Rursus interprete Ed. Pocockio. Oxon. 1658. 2 vol. 4.

(4) Cum versione et notis ed. Hamacker. Amstelod. 1824. 4.

(5) Cum versione latina ed. Tomberg. Upsaliæ 1841. 4.

(6) Speciale *Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum*, historicorum scilicet, anno 1866 edere incepit Academia Vindobonensis.

Romani parte dominarentur barbari et satis jejune quidem, prout ferebat infelix conditio temporum, historiam sive ecclesiasticam sive generalem tractarunt. — In secunda autem, qui dominantibus jam barbaris, sed ipsi aut genere Romani aut, etiamsi barbari ortu, liberalius quam solebant gentiles sui educati, tum admodum compendiose antiquiorum temporum historiam suis æqualibus enarrarunt, tum accuratius gentis apud quam versabantur sive originem sive res gestas sua vel proxime superiori ætate, posteris transmiserunt. — Tertia complectitur multos illos anonymos qui a seculo VII ad medium circiter IX, barbarie jam in occidentali Europa ubique obtinente, eventus quorum ipsi testes erant vel rumore publico nuntius ad ipsos deferebatur, brevissime et rudi stylo consignarunt. — Interea tamen sub seculi IX initio, operam huc diligenter conferente Carolo M. Imp., apud aulam ejus et in præcipuis quibusdam monasteriis reviviscere cœperunt politiorum litterarum studia, et quamvis extremo eodem seculo tum per dissidia intestina tum præsertim per invasiones Normannorum et Sarracenorum rebus admodum perturbatis jam sublata videri possent, mox tamen, Ottonibus imperantibus, e tenebris quibus obvoluta fuerant, novo splendore prodierunt et ad finem vergente seculo X ac ineunte XI haud ignobilia circa historiam illorum temporum ediderunt monumenta. — Sequitur jam quinta ætas, ab anno scilicet 1025 ad annum 1125, omnium in medio ævo scriptorum numero et copia dicendi atque etiam sermonis elegantia, imo

et artis criticæ merito præstantissima, quod scilicet ad rem historicam spectat. — Inde vero, ubique paulatim prævalente scholasticæ philosophiæ ac theologiæ et juris canonici studio, minoris illa fieri, imo vix non omnino negligi cœpit : unde historicæ lucubrationes et numero pauciores et merito longe inferiores, si cum præcedentis ætatis scriptis conferantur, in lucem emissæ sunt. Hæc sexta ætas protenditur usque ad finem seculi XIII. — Quo tempore deferbuit utique ille quo ad philosophicas et juridicas speculationes ferebatur ætas superior æstus, et multi rursus ad historicam scriptionem se contulerunt, at certe non ea laude qua quintam illam ætatem præcelluisse indicavimus. Unde hujus septimæ ætatis, quæ ad finem usque medii ævi pertingit, complura quidem, sed nec concinnitate sermonis nec accurata rerum disquisitione eximia scripta præ manibus habemus.

Jam de singularum harum ætatum monumentis paulo distinctius, in sequentia tamen capita eorum consideratione rejecta quæ speciatim ad vitas Sanctorum, ad historiam Summorum Pontificum et particularem ecclesiarum ac monasteriorum spectant.

21. I. Sec. IV. 1. Primus ordine temporum occurrit (1) HIERONYMUS, qui *Chronicon* Eusebii Cæsariensis

(1) Prætermissis scilicet scriptoribus ethnicis Tacito, Suetonio, Ælio Spartiano et aliis quinque qui vocari solent *Scriptores* minores *Historiæ Augustæ;* itemque Anonymo sec. IV. (quem edidit MOMMSEN, *Ueber den Chronographen vom Jahre* 354, p. 645-648) et Eutropio ac Ammiano Marcellino.

latine redditum et a se interpolatum perduxit usque ad annum 378 (1).

2. Eodem tempore claruit Rufinus, presbyter Aquileiensis, qui præter versionem latinam præcipui operis Eusebii, ipse scripsit *Historiæ ecclesiasticæ* duos libros, quibus eam prosecutus est usque ad obitum Theodosii M. (an. 395) (2).

Sec. V. 1. Sulpicius Severus, presbyter Aquitanus, duobus libris conscripsit *Historiam sacram* ab O. C. ad an. Chr. 400 (3).

2. Paulus Orosius, presbyter Tarraconensis in Hispania, scripsit *Historiam adversus paganos*, libris septem, a diluvio ad an. Chr. 416 (4).

3. Prosper Aquitanus edidit *Chronicon* ab Adamo usque ad an. Chr. 455, duabus partibus absolutum (5).

4. Idacius, Hispanus episcopus, *Chronicon* item conscripsit ab anno 379, quo desiit Hieronymus, ad annum 468 (6).

22. II. Sec. VI. 1. Epiphanius Scholasticus, gente Italus, historias ecclesiasticas Socratis, Sozomeni et Theodoreti, hortante Cassiodoro, latine vertit et ex iis unum historiæ corpus contexuit. Cui in compendium postea a se redacto *Historiæ tripartitæ* titulum indidit

(1) Ap. Migne, P. L. t. XXVII.
(2) P. L. t. XXI.
(3) P. L. t. XX.
(4) P. L. t. XXXI.
(5) P. L. t. LI.
(6) Ibid. — Ed. De Ram. Bruxell. 1845. 8.

Cassiodorus. Unde hic libellus modo sub Epiphanii, modo sub Cassiodori nomine citari solet (1).

2. Præter hanc historiam conscripsit Cassiodorus *Chronicon* (2) ab Adamo usque ad an. Chr. 519 (3).

3. Marcellinus, comes Illyricianus, claruit anno circiter 534 : ad quem annum *Chronicon* suum perduxit, exorsus ab anno 379 (4).

4. In eodem quoque anno desiit Anonymus auctor (5) *fastorum consularium* a J. Cæsare, quibus, præsertim in ultima parte (a tempore Valentiniani) insertæ sunt subinde quædam notitiæ historicæ.

5. Victor Tunnunensis in Africa episcopus, scripsit *Chronicon* ab O. C. ad an. 565. — Hujus Chronici pars prior interiit; superest posterior, ab anno scilicet 444 (6).

6. Victoris Chronicon usque ad annum 590 perduxit Joannes Biclarensis in Hispania monasterii conditor et præpositus (7).

7. Marius, Aventicensis apud Helvetios episcopus, *Chronicon* contexuit ab anno 455, quo desiit Prosper, ad annum 581 pertingens (8).

(1) P. L. t. LXIX.

(2) *Breve* seu *Consulare* dictum.

(3) P. L. t. LXIX.

(4) P. L. t. LI.

(5) Vulgo *Norisianus* dictus. — Ed. (post Norisium) Mommsen, op. cit. p. 657-668.

(6) P. L. t. LXVIII.

(7) P. L. t. LXXII.

(8) Ibid. — Omnino autem apocrypha habentur Chronica quæ edita sunt sub nominibus Flavii Lucii Dextri Hispani (qui quidem extr. sec. IV Chro-

23. Reliqui hujus ætatis scriptores præcipue versati sunt in describendis rebus gestis barbarorum, videlicet:

a. In **Gallia,** Gregorius Turonensis episcopus (ob. an. 595) scripsit *Historiæ Francorum* libros decem, quibus res gestas ab orbe condito ad exordia regni Francorum brevissime percurrit, deinde quæ ad horum historiam pertinent ad annum usque 591 copiose enarrat. — Hanc historiam usque ad annum 641 perduxit postea Fredegarius, ulterius vero alii continuatores ad annum 768 (1).

b. In **Italia,** sec. VI Jordanes seu Jornandes, natione Gothus et, secundum quosdam, episcopus Ravennas, præter librum *De regnorum et temporum successione* (2), particularem edidit historiam Gothorum seu *De rebus Geticis* ad annum usque 550 deductam (3). — Non absimilem *De gestis Langobardorum* extremo seculo VIII scripsit Paulus Warnefridi, qui et Diaconus vocari solet, gente Langobardus, qui et ipse præterea Historiam Romanam contexuit libris sexde-

nicon scripsit, sed jam diu deperditum; chronicon apocryphum autem, quod exhibetur P. L. t. XXXI, confectum existimatur sec. XVI), et Marci Maximi, qui fingitur Dextri continuator; itemque *Datianum* (Mediolani 1848. 8. sub titulo *Historia Ecclesiæ Mediolanensis an.* 52-304. — Antea ap. Muratori, *Scriptt. rer. Ital.* t. I. part. 2. p. 203-207) et Hunibaldi (ap. Schard, *Scriptt. rer. Germ.* t. I, et ap. Ludewig, *Scriptt. rer. Wirceb.*).

(1) P. L. t. LXXI.

(2) Qui rectius Historia Romana (ab U. C. ad an. Chr. circ. 560) inscribendus erat.

(3) Utrumque opus editum est apud Muratori, *Scriptores rerum Italicarum*, t. I. part. 1. Et sæpius ante et postea.

cim, quorum tamen decem priores ex Eutropii opere excerpsit, sex sequentes vero (a tempore Valentiniani) exaravit proprio marte : ex his videtur confecta ineunte seculo IX quæ sub nomine Pauli fertur *Historia Miscella*, a quodam qui in ms. codice Landulphus Sagax dicitur et octo libros illi adjecit, narrationem rerum prosccutus usque ad annum 813 (1).

c. In **Hispania,** Isidorus Hispalensis episcopus conscripsit brevem *Historiam de regibus Gothorum, Vandalorum et Suevorum* (2), et præterea *Chronicon* (an. Chr. 176-615) (3), cui deinde continuationem (an. 610-754) adjecit quidam Isidorus Pacensis, quam inscripsit *Chronicon Hispaniæ* (4). — Julianus, episcopus Toletanus, scripsit *Historiam de Wambæ regis Gothorum Toletani expeditione* (an. 674) (5).

d. In **Anglia,** Beda, cognomine Venerabilis, monachus Anglus, præter *Chronicon de sex ætatibus mundi* (O. C. — an. Chr. 725), scripsit *Historiam ecclesiasticam gentis Anglorum,* libris quinque pertingentem ad an. Chr. 731 (6).

24. Ad eamdem scriptorum classem referri possunt

(1) Utrumque opus ex Muratorio editum est P. L. t. XCV.
(2) P. L. t. LXXXIII.
(3) Ibid.
(4) P. L. t. XCVI.
(5) Ibid.
(6) P. L. t. XCV. — Ad sec. VII refertur etiam Chronicon quod gaelice scripsisse dicitur quidam Tysilio. Ed. (anglice) Pet. Roberts inter Collectanea Cambrica. Lond. 1811. 4.

Victor Vitensis in Africa episcopus, qui extremo seculo V conscripsit *Historiam persecutionis Africanæ sub Genserico et Hunnerico Vandalorum regibus* (1), et Gildas, cognomento Sapiens, a quo sub fine seculi VI editus est *Liber querulus* seu *Historia de excidio Britanniæ* (2). — Et forte etiam ignotus auctor, qui nonnulla nobis servavit de Constantio Chloro, Constantino M. et aliis imperatoribus, necnon de Odoacro et Theodorico Italiæ regibus, quæ « ex libris Chronicorum » se excerpsisse ipse profitetur (3). Sed forte etiam is ætate longe posterior est.

25. III. Dicendum jam sequitur de tertia classe scriptorum. Hujus monumenta, quod spectat ad historiam generalem, reducuntur ad *Annales* illos, quorum rationem optime describit cl. Pertz his verbis :

« Annalium apud majores nostros origo, sicut omne fere scribendi genus, a christianæ inter eos doctrinæ initiis deducitur. Runarum usum antiquissimum esse fateamur licet, communi tamen eas utilitati inserviisse, nedum historiæ conscribendæ adhibitas esse, ignoramus. Indigenæ religionis sacra ad cursum solis et lunæ fallere nescium peragebantur, præcepta memoriæ tradita nullam litterarum opem desiderabant; apud

(1) P. L. t. LVIII.

(2) P. L. t. LXIX.

(3) Hæc excerpta primus protulit H. Valesius (unde auctor ille vulgo *Anonymus Valesii* dici solitus est) in sua editione operum Ammiani Marcellini. — Inde ap. Muratori, *Scr. rer. It.* t. XXIV. p. 635-640.

christianos e contra Dei cultus libris sacris innixus, et præceptorum doctrinarumque... mole munitus, nullo nec tempore nec loco litterarum comitatu carere poterat. Festorum etiam ratio ea erat, ut a solis quidem et lunæ cursu penderent, nec tamen sine calculo, cujus sæpe fallaciam præcedentia sæcula cum maxima omnium perturbatione experta erant. Quod cum in paschalis præcipue festi solemnia caderet, sæculo sexto Dionysius Exiguus, octavo Venerabilis Beda tabulis paschalibus describendis operam dederunt, quarum exemplis per occidentalis Europæ ecclesias atque monasteria divulgatis errores hujusmodi in posterum tollerentur. Quæ tabulæ ita comparatæ erant, ut singuli undeviginti annorum cycli singulas aut binas codicis paginas explerent, margine ut plurimum pro operis dignitate satis ampla relicta, quæ vel tardioris ingenii hominem annotandis præcipuis cujuslibet anni eventibus invitaret. Hinc vel sub fine sæculi septimi vel certe sæculo octavo annalium apud Francos usum cœpisse, testantur quæ hujus atque proxime illud excipientis temporis monumenta supersunt. Nec enim paucissimæ in capite annalium Juvavensium majorum annotationes hoc scribendi genus in Anglia repertum, et postea demum Galliæ Germaniæque illatum fuisse cuiquam persuadeant; nec quod in annalium Nazarianorum autographo manus quasi Saxonica, toto opere Franca manu absoluto, alia superaddidit, pro ejusmodi sententia facere posse videtur. Majores igitur ecclesias et cœnobia in regno Francorum constituta vera hoc genus

monumentorum incunabula habeantur necesse est; quum tamen multos passim cyclorum decennovennalium codices per Germaniam, Galliam Italiamque interiisse credendum sit, et ne de superstitibus quidem constet, aliquot vel nuper in itinere Germanico et Italico repertis, quominus de loco, ubi primum ejusmodi notis adaucti fuerint, solidi quid disputemus, intercludimur. Verum non ita multum tempus intercessisse, quin per complura monasteria vulgarentur, eo quod eædem notæ iisdem plane verbis in non uno hujus ævi codice occurrunt, conjicere licet. Et in Belgica quidem annales Sancti Amandi primum facile inter omnes locum obtinent, quos sæculo octavo alii per Franciam, Alamanniam et Baioariam prosecuti sunt; mox Saxonia ad christianam fidem conversa, annales Corbeienses non ultimi omnium accessere. Sæculis posterioribus alii in Gallia et in Italia excreverunt; nec eundem tunc in Germania morem interiisse, præter alia pridem typis datæ,... annales Colonienses, Sangallenses majores et Brunwilarenses testantur...

« Fides hujusmodi monumentorum in propatulo; ita enim comparata sunt, ut primo intuitu rationem et vim eorum perspicias; sententiæ ut plurimum breves, quælibet aut situ aut signo aliquo ad annum suum relata; scribis ignotis quidem sed simplicibus uno alteri per temporum curricula succedentibus; annis plurimis quibus nihil memoratu dignum occurrebat, nota omnino destitutis. Ecclesiæ sive monasterii, in quo cœperunt, historiæ plurimum tribuitur; episcoporum, abbatum,

monachorum consecratio, regum successiones et bella, memoria benefactorum, quæque alia ejusmodi auctoris animum tangerent, simplicibus verbis efferuntur, historicæ artis officio ne minimo quidem intercedente. Auctoribus igitur qui non aliis, sed sibi aut amico vel ecclesiæ scriberent, in his saltem quæ coævis manibus debeantur, fidem minime denegandam esse, facile omnes consenserint (1). Nec tamen diffitemur, quædam in eis ita comparata esse, ut amplum dubitationi locum relinquant; nam primis exemplis ut plurimum pessumdatis, et uno codice ab altero excepto, præter communem humanæ naturæ fragilitatem id quoque intercedebat, quod in authenticis ipsis spatio nonnumquam deficiente, notæ non satis accurate suo quæque anno adpositæ, et vel signis ambiguis ab ultima folii ora ad eos relatæ occurrerent. Hinc errores orti (2), » quos detegendi et emendandi negotium longe facilius redditur ex artificio Pertzianæ editionis : in qua scilicet annales qui aut toti aut parte aliqua ex communi cum aliis fonte derivantur, quantum fieri potuit, e regione eorum scripti sunt, et in omnibus, quorum authentica præ manibus erant, coævæ scripturæ initium et finis fideliter indicata : quod utrumque ab antiquis editoribus sæpius neglectum erat.

(1) Ita tamen, præsertim in iis annalibus qui paulo prolixiores sunt, ut attendatur num quoad ea quorum auctor annalium testis oculatus non fuit, vel etiam quoad ea quæ facile ex aliquo affectu aut partium studio adulterare potuit, satis (secundum regulas positas supra in Tract. I) confidi possit ejus scientia aut veracitate.

(2) *Monum. Germ. Hist.* Scriptt. t. I. p. 1-2.

26. Sic igitur prodiit ingens illa Annalium copia, qui sive ex ecclesia vel monasterio ubi conscripti vel reperti sunt, sive ex primo editore eorum aut etiam ejus penes quem erat codex ex quo primum editi sunt (ut Tiliani, Petaviani) nomen suum sunt sortiti (1). — Ceterum advertendum est : α) non raro Annales antiquiores alicujus monasterii vel ecclesiæ postea inter aliorum Annales, ubi serius huic labori opera data est, vel integros vel ex parte transcriptos esse (2). β) Non omnes omnino etiam antiquiores Annales descriptos esse in margine cyclorum Paschalium, sed aliquos etiam seorsim. γ) Multos jam minus concise continuatos esse subsequentibus seculis.

27. IV. In quarta et sequentibus ætatibus triplex genus monumentorum editum reperimus. Videlicet

a. Ex accurata inspectione quorumdam Annalium, animadvertit Ranke eos non privato alicujus monachi vel clerici studio confectos esse, sed ex officio seu jussu et sub auspiciis supremæ auctoritatis civilis : unde hujusmodi Annales potius *publici* quam privati dicendi sunt (3). Horum antiquissimi videntur (4) Annales *Lau-*

(1) Eorum recensionem, cum indicatione collectionis ubi reperiuntur, alphabetico ordine tradit Potthast in *Bibliotheca historica medii ævi* (Berlin 1862), p. 116 sqq. et *Supplementi* ad eamdem (Berlin 1868) p. 37 sqq.

(2) Quæ aliunde excerpta in singulis Annalibus recentiores hujus generis monumentorum editores in collectione Pertziana jam diligenter ipsis typis distinguere consueverunt.

(3) Cfr. Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter* (Berlin 1858), p. 105 sqq.

(4) Neque enim tales dicendæ sunt Fredegarii continuationes tertia (an.

rissenses seu *Laureshamenses* (1) (an. 741-788), quos continuavit usque ad annum 829 auctor quem Pertz et alii (aliis tamen contradicentibus) existimant fuisse Einhardum seu Eginhardum illum cui debemus descriptionem vitæ Caroli M. Is idem postea novis curis totos annales (an. 741-829) elaboravit, non alio tamen consilio, ut videtur, quam ut elegantiori stylo exarati ad posteros transmitterentur (2). — Continuationem ulteriorem Annalium publicorum exhibent ex una parte (in Gallia) ii qui dicuntur *Bertiniani,* quos ab anno 830 ad 835 auctor ignotus, ab an. 835 ad 861 Prudentius episcopus Trecensis, ab anno 861 ad 882 Hincmarus Remensis archiepiscopus conscripsere (3). Ex altera parte (in Germania) continuatio Annalium Einhardi instituta est in monasterio *Fuldensi* (4) a monachis hujus monasterii sibi ex ordine succedentibus, Enhardo (an. 830-838), Rudolfo (an. 838-863) et tertio ignoto (an. 863-882) (5). — Denique hujus partis Annalium Fuldensium continuatio, ut videtur, haberi possunt Annales *Hersfeldenses* (6), qui ad annum 990 pertin-

741-752) et quarta (an. 752-768), quamvis illam Childebrandus, Caroli Martelli frater, hanc Childebrandi filius Nibelungus conficiendas curaverint.

(1) Vulgari lingua *Lorsch,* dicec. Moguntinæ.

(2) Secundum duplicem formam e conspectu editi sunt hi Annales ap. Pertz, *Mon.* Scr. t. I. p. 124 sqq.

(3) Ed. ibid. p. 423-515.

(4) Dicec. Moguntinæ, postea Wirceburgensis.

(5) Ed. ibid. p. 360-395. — Quæ autem habentur p. 343-360, ab Enhardo excerpta sunt ex Einhardi Annalibus. Quæ vero sequuntur a p. 305 seu an. 882, jam publicorum Annalium faciem præ se non ferunt.

6) Dicec. Moguntinæ.

gunt. Hi quidem secundum primigeniam formam adhuc non exstant, sed aliquatenus servati sunt in excerptis inde a Lamberto Hersfeldensi (1) et a scriptoribus Annalium Hildesheimensium, Quedlinburgensium, Altahensium et aliorum.

28. Ad idem genus documentorum referenda videntur Liudprandi episcopi Cremonensis *Historia Ottonis sive de rebus gestis Ottonis M. an.* 960-964 (2); Davidis Scoti historia expeditionis Henrici V in Italiam hodie deperdita (3); Ekkehardi Uraugiensis *Chronicon* quod jussu ejusdem regis a se scriptum ipse testatur (4). — In Gallia habemus Chronica vulgari sermone concinnata, quæ inscripta sunt *Les grandes Chroniques de France* (5). Quæ lucubratio incepta videtur circa annum 1270 et in variis editionibus ad annos 1223, 1380 et 1461 producta.

29. Porro merita et defectus hujusmodi scriptorum ex ipsa eorum natura consequuntur, adeo ut hæc ex illis agnosci possit. Longe nimirum quam in ceteris accuratior habetur notitia earum rerum quæ vel apud

(1) Ap. Pertz, *Monum. Germ. Hist.* Scr. t. V.

(2) Ed. ibid. t. III.

(3) De qua et ejus auctore Ekkehardus in suo Chronico ad an. 1110 : « Inter quos (ait) claruit quidam Scotigena nomine David, quem scholas Wirciburc regentem pro morum probitate rex sibi capellanum assumpsit. Hic itaque jussus a rege totam hujus expeditionis seriem rerumque in illa gestarum stilo tam facili, qui pene nichil a communi loquela differat, tribus libris digessit » (Pertz, Scr. t. VI. p. 243).

(4) Ap. Pertz, tom. cit. p. 8.

(5) Optime edita (cum continuationibus usque ad 1574) a Paulin. Paris, Paris. 1836. 6 vol. 8.

ipsos reges agebantur vel, etiamsi procul gestæ, statim post eventum per fideles nuntios eis distincte narrari solebant. At quæ iisdem non ita gratum erat percrebrescere aut posterorum memoriæ tradi, vel aliquantum adulterari vel leviter attingi vel etiam omnino prætermitti mirum non est; neque etiam, regis consilia et modum agendi semper laudari, adversariorum reprehendi et vituperari (1). Inde igitur facile perspicietur vis testimonii aut argumenti negativi ex iis desumpti.

30. ***b.*** Secundum genus ea complectitur quæ a privatis privato studio conscripta sunt circa historiam sui temporis, sive generalem, sive virorum quorumdam aut eventuum præcipuorum. — Ubi nulla nota, quæ omnibus aut fere omnibus communis sit, hic advertenda occurrit; sed singulorum fides dijudicanda est ex regulis generalibus supra in prima Tractatione indicatis. Hoc autem commodius præstabitur in introductionibus specialibus ad singulas ætates : ad quas etiam reservamus distinctiorem recensionem tum hujus tum sequentis generis documentorum.

31. ***c.*** Sub tertio hoc genere eos scriptores collocamus qui non solum suorum, sed et præteritorum tem-

(1) Quod jam adverterunt sec. XI Lambertus Hersfeldensis (vel quisquis est auctor antiquæ historiæ Hersfeldensis), « Nam imperatores (inquiens) suorum secum habent præcones meritorum, experientia ut ita dicam vernacula eis scribenda dictante et falsas opiniones veritate astipulante longius propellente » (Pertz, t. V. p. 140); et sec. XII Wilhelmus Malmesburiensis, qui de Davide Scoto : « Iter illud ad Romam (ait) David Scottus Bancorniensis episcopus exposuit, magis in regis gratiam quam historiam deceret acclinis » (Pertz, t. X. p. 479).

porum res gestas describere susceperunt. Et duplicem rursus speciem lucubrationum in eo distinguere juvat. Alteram scilicet earum quarum auctores aut totius orbis aut totius saltem suæ gentis fata enarrare intenderunt, alteram earum quæ se continent in digerenda particulari alicujus civitatis, ecclesiæ aut monasterii historia. Hæ postericres jure merito in magno pretio habentur apud eruditos, quum in iis collecta exhiberi soleant quæcumque tum ex documentis scriptis tunc temporis nondum deperditis tum ex traditionibus localibus scriptor, plerumque domesticus, nosse potuit. In prioribus vero quæ circa præterita tempora traduntur, verbo tenus fere exscripta esse constat ex antiquioribus chronicis, quæ vix non omnia adhuc præ manibus habemus. Unde hæ tantum illarum partes nobis fontium loco esse possunt ubi quædam referuntur ex chronicis deperditis, aut ubi jam ad sua tempora describenda deveniunt ac proinde jam pertinent ad secundum genus modo indicatum.

Hactenus de scriptis historicis. Jam de reliquis documentis ecclesiasticis aut saltem eorum collectionibus.

ARTICULUS III.

DE SCRIPTIS ECCLESIASTICIS VARII ARGUMENTI.

32. Sub hoc nomine veniunt omnia scripta Patrum et auctorum ecclesiasticorum quæ non sunt proprie et ex professo historica. Horum quorumdam vel omnia

simul, quotquot reperiri potuerunt, vel singularia aut nonnulla tantum opera separatim edita habentur. De quibus hic, secundum consilium in præsenti capite nobis propositum et jam sæpius indicatum, distinctius disserendum non est, sed solum recensenda videntur tum genera duo scriptorum quæ magis historicum attingunt quæque proinde historiæ criticæ studiosos præcipue nosse decet, tum collectiones quæ multorum diversorum opera complectuntur et sub nomine editorum citari solent ab eruditis.

§ 1. De catalogis scriptorum ecclesiasticorum et scriptis adversus omnes hæreses.

33. I. Catalogum scriptorum ecclesiasticorum primus texere instituit seculo IV extremo HIERONYMUS in libro suo quem inscripsit *De viris illustribus*. In quo circa singulos scriptores ecclesiasticos qui hactenus floruerant brevis traditur notitia biographica cum recensione operum quæ eis tribuebantur et subinde etiam quibusdam excerptis : quæ omnia fere ex Eusebii historia ecclesiastica, præsertim quod Græcos attinet, desumpta sunt. Hieronymi librum græce expressit SOPHRONIUS quidam, aliunde ignotus. Idem ex ordine continuarunt et ad sua usque tempora perduxerunt : extr. sec. V, GENNADIUS Massiliensis presbyter; ante med. sec. VII, ISIDORUS Hispalensis et post med. sec. VII, ILDEPHONSUS Toletanus; in. sec. XII, SIGEBERTUS Gemblacensis; med. sec. XII, HONORIUS Au-

gustodunensis; extr. sec. XIII, Henricus Gandavensis. — Quos omnes simul collectos exhibet *Bibliotheca ecclesiastica* quam edidit Aubertus Miræus (1) et postea novis curis J. A. Fabricius (2), adjectis anonymo Mellicensi, cujus catalogus ad annum 1125 protenditur, Petro Casinensi *de viris illustribus monasterii Casinensis* cum supplemento Placidi Romani ac denique Trithemio, qui scripsit extr. sec. XV.

34. II. Satis affine genus constituunt scriptores ecclesiastici qui errores recensuerunt hæreticorum usque ad sua tempora exortorum, videlicet (3) :

***a.* Scriptores Græci :**

α) Extremo seculo II, Irenæus conscripsit magnum opus *Adversus Hæreses* libris quinque, quorum textus græcus interiit præter fragmenta quædam ab aliis veteribus exscripta. Totius vero operis habetur antiquissima versio latina, quam multi Irenæo æqualem, alii seculo IV exeunte confectam existimant.

β) Ante med. sec. III floruit auctor librorum decem qui ab editoribus inscripti sunt *Philosophoumena* seu *Refutatio adversus omnes hæreses*.

γ) Post med. sec. IV, Epiphanius, Constantiensis in Cypro insula episcopus, tria adversus omnes hæreses

(1) Antverpiæ 1639. 2 vol. fol. — Præcesserat collectio Suffridi Petri (Coloniæ 1580. 8), in qua omissus est Ildephonsus.

(2) Hamburgi 1718. fol.

(3) Præter deperditos tractatus Justini, Origenis, Hippolyti et aliorum, et particulares adversus singulas hæreses, de quibus commodius dicetur in Introductionibus specialibus.

edidit opera, quorum primum inscribitur *Ancoratus* et expositionem fidei continet adversus hæreses hucusque exortas, quæ breviter recensentur. Prolixius vero et distinctius hæ refutantur in secundo opere, in tres libros et septem tomos diviso, cui titulus *Panarium adversus hæreses octoginta*. Ejusdem postea confecit Epiphanius Epitomen seu *Anacephalosim*.

δ) Circa med. sec. V, Theodoretus, Cyrensis in Syria episcopus, libris quinque edidit *Hæreticarum fabularum compendium*. — Et ineunte sec. VI Leontius Byzantinus librum *De Sectis*.

ε) Sec. VIII, Joannes Damascenus exaravit librum *de hæresibus* et Germanus episcopus CPanus libellum *de hæresibus et synodis* (1).

35. Breviores autem veterum hæreticorum catalogos descripserunt :

α) Auctor quidam notus sub nomine Josephi Christiani, in suo *Hypomnestico*, cap. 139, recensionem deducens usque ad extremum seculum IV.

β) Anastasius Sinaita, post med. sec. VI, in *narratione compendiaria de omnibus hæresibus usque ad Nestorium et Severum*.

γ) Sophronius, episcopus Hierosolymitanus, ante

(1) Hi omnes habentur in P. G., Irenæus scilicet t. VII; Philosophoumena t. XVI. P. III; Epiphanius tt. XLI et XLII; Theodoretus t. LXXXIII; Leontius Byzantinus t. LXXXVI; Joannes Damascenus t. XCIV; Germanus CPanus t. XCVIII.

med. sec. VI, in epistola synodica missa ad Sergium CPanum.

δ) Stephanus, diaconus CPanus, in. sec. IX, in vita Stephani junioris abbatis Nicomediensis (1).

ε) Timotheus, presbyter CPanus, in suo libello *de iis qui ad ecclesiam ab hæreticis accedunt* (2), ubi eum catalogum deducit usque ad Monothelitas.

36. Denique fusius rursus eamdem materiam tractarunt post consummatum schisma orientale, scriptores schismatici Euthymius Zigabenus (in. sec. XII) in sua *Panoplia dogmatica orthodoxæ fidei,* Nicetas Choniates (extr. sec. XII) in suo *Thesauro orthodoxæ fidei* et Constantinus Harmenopulus (med. sec. XIV) in suo libro *de opinionibus hæreticorum qui singulis temporibus exstiterunt* (3).

37. *b.* Scriptores Latini.

Hos, longe in hac materia rariores et parciores, edidit F. Oehler in tomo primo *Corporis hæresiologici* (4). Ubi exhibentur scilicet quæ *de hæresibus* aut *adversus omnes hæreses* scripserunt Philastrius, Augustinus, Auctor *Prædestinati* libro primo, Gennadius Massiliensis et Honorius Augustodunensis. Item catalogi

(1) Hi quatuor catalogi editi reperiuntur apud Fabricium, *Biblioth. Græc.* (Ed. Harles) t. VIII. p. 347-358.

(2) P. G. t. LXXXVI. p. 11.

(3) Editi sunt in P. G., Euthymius t. CXXX; Nicetas t. CXXXIX; Constantinus t. CL.

(4) Berolini 1856. gr. 8.

seu indiculi hæreticorum qui falso editi sunt sub nominibus Tertulliani (ad calcem libri *de præscriptionibus*), et Hieronymi, ac denique catalogus quem contexuit Isidorus Hispalensis et ex eo Paulus (1).

§ 2. De collectionibus scriptorum ecclesiasticorum.

38. Harum aliæ *generales* appellatæ sunt, quæ scilicet scripta comprehendunt ad omne genus doctrinæ ecclesiasticæ spectantia, aliæ *particulares,* quæ unum tantum genus scriptorum exhibent, velut polemica, ascetica, scripturistica. Generales hic recensuisse sufficiat, quum particulares quæ propius ad rem nostram pertinent supra jam satis recensitæ sint, aliæ vero vix unquam in historicis studiis adhiberi et præterea fere ex generalibus aut ex integris alicujus scriptoris operibus alias editis excerptæ aut inter ea postea relatæ, secundum hæc ab eruditis citari soleant.

39. Porro inter ipsas collectiones generales distingui possunt :

I. Eæ quarum editores opera vel fragmenta Patrum hactenus inedita aut admodum rara publici juris fecerunt. In quo genere

a. Primo citandi videntur duo scriptores medii ævi qui non spernendum suæ diligentiæ fructum nobis reliquerunt, *α*) Photius scilicet, qui seculo IX contexuit ad-

(1) Præter hunc ultimum hi omnes catalogi prostant in Patrologia latina inter opera eorum quorum nomine insigniuntur.

huc laicus egregium opus quod *Myriobiblon* ab ipso inscriptum est, latine autem vulgo sub nomine *Bibliothecæ* citatur (1). In quo scriptorum veterum, non omnium tamen ecclesiasticorum, opera numero ducenta et octoginta, a se lecta summatim recensuit, accurate dijudicavit et ex iis non pauca fragmenta exscripsit. — β) Suidas, arte grammaticus, qui vixisse videtur extremo seculo X. Concinnavit is *Lexicon* prolixum (2), in quo quamplura ex veteribus excerpta vel etiam verbo tenus descripta reperiuntur quæ jam alias omnino deperdita essent.

40. *b.* Recentiorum vero ex ordine edita habentur :

Sec. XVI. Sichardi (J.) *Antidotum contra diversas hæreses*. Basil. 1528. fol.

Henrici Petri *Micropresbyticon*. Basil. 1550. fol.

Heroldi (J.) *Orthodoxographa*. Basil. 1555. fol.; et *Hæreseologia*. Basil. 1556. fol.

Gesneri (Conr.) *Veterum aliquot Theologorum Græcorum libri*. Tiguri 1559. fol.

Grynæi (Jac.) *Monumenta Orthodoxographa*. Basil. 1569. fol.

41. Sec. XVII. Canisii (H.) *Antiquæ lectiones*. Ingolstad. 1601. 6 vol. 4. — Quæ deinde cura Jac. Basnagii iterum prodierunt cum accessionibus non paucis et titulo *Thesaurus monumentorum ecclesiasticorum et historicorum*. Amstelæd. 1725. 4 vol. fol.

(1) P. G. tt. CIII et CIV.
(2) Sæpius editum græce et latine.

Bosco (Joan. a) *Floriacensis vetus Bibliotheca*. Lugd. 1605. 8.

Barralis (Vinc.) *Chronologia Sanctorum et Abbatum sacræ insulæ Lirinensis*. Lugd. 1613. 4.

Marrieri (M.) et Quercetani (A.) *Bibliotheca Cluniacensis*. Paris. 1614. fol.

Galleti (Th.) *Sanctorum aliquot opuscula*. Lugd. 1615. 8.

Stevartii (P.) *Tomus singularis insignium auctorum*. Ingolstad. 1616. 4.

Meursii (J.) *Varia divina*. Lugd. Batav. 1619. 4.

Combefisii (Fr.) *Græco-latinæ Patrum Bibliothecæ novum Auctarium*. Paris. 1648. 2 vol. fol. — *Bibliothecæ græcorum Patrum Auctarium Novissimum*. Paris. 1672. 2 vol. fol.

Allatii (L.) *Græcia orthodoxa*. Romæ 1652. 2 vol. 4. — Et *Symmicta* seu Miscellanea. (Ed. Barthold. Nihusius) Colon. 1653. 8.

Dacherii (Luc. d'Achery) *Veterum Scriptorum Spicilegium*. Paris. 1655. 13 vol. 4. — Quod postea novis curis edidit Lud. de la Barre. Paris. 1723. 3 vol. fol.

Labbe (Ph.) *Bibliotheca nova manuscriptorum*. Paris. 1657. 2 vol. fol.

Tissier (B.) *Bibliotheca Patrum Cisterciensium*. Bono-Fonte. 1660. 8 vol. fol.

Mabillon (J.) *Vetera analecta*. Paris. 1675. 4 vol. 8. — Ed. II. Paris. 1723. fol.

Mabillon (J.) et Germain (M.) *Museum Italicum*. Paris. 1687. 2 vol. 4. — Ed. II. Paris. 1724. 2 vol. 4.

Cotelerii (J. B.) *Ecclesiæ græcæ monumenta.* Paris. 1677. 2 vol. fol.

Baluzii (St.) *Miscellanea.* Paris. 1676. 7 vol. 8. — Quæ postea novo ordine digesta et non paucis documentis aucta rursus prodierunt opera J. D. Mansi. Lucæ 1761. 4 vol. fol.

Le Moyne (St.) *Varia Sacra.* Lugd. Batav. 1685. 2 vol. 4.

Hommey (Jac.) *Supplementum Patrum.* Paris. 1686. 8.

Montfaucon (Bern. de) et aliorum *Analecta græca.* Paris. 1688. 4.

Sirmondi (Jac.) *Opera varia.* Paris. 1696. 5 vol. fol. — Venet. 1728. 5 vol. fol.

Tollii (Jac.) *Insignia itinerarii Italici.* Traject. ad Rhen. 1696. 4.

Grabii (J. E.) *Spicilegium SS. PP. et hæreticorum Sec. I, II et III.* Oxon. 1698. 2 vol. 8. — Ed. II auctior et emendatior. Oxon. 1714. 2 vol. 8.

Zacagnii (Laur.) *Collectanea monumentorum veterum.* Romæ 1698. 4.

Anecdota etiam quædam reperiuntur inter opera Jac. Gretseri, qui hoc seculo vixit; sed opera ejus collecta edita sunt Ratisbonæ 1734 sqq. 17 vol. fol.

Martene (Edm.) *Veterum Scriptorum collectio nova.* Rotomagi 1700. 4.

42. Sec. XVIII. Montfaucon (B. de) *Collectio nova Patrum græcorum.* Paris. 1706. 2 vol. fol.

Muratorii (L. A.) *Anecdota græca*. Patav. 1709. 4. — Et *Anecdota* (latina) *ex Ambrosianæ Bibliothecæ codicibus*. (Tom I et II) Mediolani 1697 et (Tom. III et IV) Patavii 1713. 4 vol. 4.

Martene (E.) et Durand (Urs.) *Thesaurus novus Anecdotorum*. Paris. 1717. 5 vol. fol. — Et *Veterum Scriptorum amplissima collectio*. Paris. 1724. 9 vol. fol.

Fabricii (J. A.) *Spicilegium Patrum tertii seculi*. In Tom. II Operum S. Hippolyti. Hamburgi 1718. fol.

Pezii (B.) *Thesaurus anecdotorum novissimus*. Augustæ Vindelic. 1721. 6 vol. fol.

Duellii (R.) *Miscellanea*. Aug. Vindel. 1723. 4.

Schannat (J. F.) *Vindemiæ litterariæ*. Fuldæ et Lipsiæ 1723. 2 vol. fol.

Hugonis (C. L.) *Sacræ antiquitatis monumenta*. Stivagii 1725. 2 vol. fol. — Prima pars rursus prodiit Francofurti (1744. fol.) sub novo hoc titulo : *Accessiones ad historiam ecclesiasticam et civilem*.

Hoffmann (C.) *Nova Scriptorum ac monumentorum collectio*. Lipsiæ 1731. 2 vol. 4.

Lamii (J.) *Deliciæ eruditorum*. Florentiæ 1736. 17 vol. 8.

Galeardi (P.) *Veterum Brixiæ episcoporum opera*. (Patavii 1720. 4. —) Brixiæ 1738. fol.

Lazeri (P.) *Miscellanea*. Romæ 1754. 2 vol. gr. 8.

(J. C. Trombellii et J. A. Mingarellii) *Veterum Patrum latinorum opuscula*. Bononiæ 1751. 4. — Et *Veterum Patrum opuscula*. Bononiæ 1755. 4.

Zachariæ (F. A.) *Excursus litterarii per Italiam.* Venet. 1754. 4. — Et *Anecdotorum medii ævi collectio.* Aug. Taurin. 1755. 4.

Mingarellii (J. A.) *Anecdotorum fasciculus.* Romæ 1756. 4.

Walchii (C. G. F.) *Monimenta medii ævi.* Gotting. 1757. 2 vol. 8.

Kollarii (A. F.) *Analecta Vindobonensia.* Vindobonæ 1761. 2 vol. fol.

Bandinii (A. M.) *Græcæ Ecclesiæ vetera monumenta.* Florentiæ 1762. 8.

Amadutii (J. C.) *Anecdota litteraria.* Romæ 1772. 4 vol. 8.

Villoison (J. B. d'Anse de) *Anecdota græca.* Venet. 1781. 2 vol. 4.

Lorenzana (F. de) *SS. Patrum Toletanorum opera.* Matriti 1782. 2 vol. fol.

Fontani (F.) *Novæ eruditorum deliciæ.* Florentiæ 1785. 3 vol. 8.

Münter (F.) *Fragmenta Patrum græcorum.* Hafniæ 1788. 8.

Levis (E. de) *Anecdota Sacra.* Aug. Taurin. 1789. 4.

43. Sec. XIX. Villanueva (J. L.) *Viage literario à las iglesias de España.* Matriti 1803-1852. 22 vol. 8.

Routh (M. J.) *Reliquiæ sacræ.* Oxonii 1814. 4 vol. 8.

Maï (Ang.) *Scriptorum Veterum nova collectio.* Romæ 1825. 10 vol. 4. — *Spicilegium Romanum.*

Romæ 1839. 10 vol. 8. — *Nova Patrum Bibliotheca.* Romæ 1842. 6 vol. 4.

Boissonnade (J. F.) *Anecdota græca.* Paris. 1829. 5 vol. 8.

Rheinwald (F. H.) *Anecdota ad historiam ecclesiasticam pertinentia.* Berolini 1831. 8.

Pitra (J. B.) *Spicilegium Solesmense.* Paris. 1852. 4 vol. gr. 8.

Tischendorf (C.) *Anecdota sacra et profana ex oriente et occidente allata.* Lipsiæ 1855. 4.

Cureton (W.) *Spicilegium Syriacum.* Lond. 1855. 8.

Land (J.) *Anecdota Syriaca.* Lugd. Batav. 1862-70. 3 vol. 4.

44. Præterea hic memorandæ videntur : α) Collectiones Patrum apostolicorum seu apostolorum ævo æqualium. Horum omnium opera vera et suppositicia collegit et edidit J. B. Cotelerius (1). — Alii vero nonnisi opera eorumdem quæ sibi videbantur genuina, Ittigius (2) scilicet, Rusel (3), Frey (4), Hornemann (5), Jacobson (6), Hefele (7) et Dressel (8).

β) Collectiones scripturarum apocrypharum N. T.,

(1) Paris. 1672. 2 vol. fol. — Edit. II auctior opera J. Clerici Antverpiæ (Amstelæd.) 1698. 2 vol. fol. — Ed. III auctior et accuratior Amstelæd. 1724. 2 vol. fol.

(2) Lips. 1699. 8.

(3) Lond. 1746. 2 vol. 8.

(4) Basil. 1742. 8.

(5) Hafniæ 1828. 2 vol. 8.

(6) Oxonii 1838, 1840 et 1864. 2 vol. 8.

(7) Tubing. 1839. 8 et sæpius postea.

(8) Lips. 1857, 1863. 8.

quas ediderunt Fabricius (1), Thilo (2) et Tischendorf (3).

45. Documentorum autem quæ in omnibus his recentiorum collectionibus et præterea in *Bibliothecis Patrum* mox memorandis occurrunt, indicem confecerunt et ediderunt Th. Ittigius (4) et ejus continuator J. G. Dowling (5).

46. II. *Bibliothecæ Patrum* universales. Hujusmodi, omissis tantum majoribus præcipuorum Patrum quæ seorsim edita sunt operibus, contexere primus instituit Margarinus de la Bigne Theologus Parisiensis (6). Ex qua collectione, multis ex ordine aucta, prodierunt *Bibliothecæ* quæ ex nomine civitatis ubi editæ sunt nomen suum obtinuerunt apud eruditos, *Coloniensis* (7) videlicet, *Parisiensis* (8) et *Lugdunensis* (9). His omni-

(1) Codex apocryphus N. T. Hamb. 1703-19. 3 vol. 8.

(2) Codex apocryphus N. T. Lips. 1832. 8. Tom. I (continens evangelia apocrypha). Ceteri Tomi editi non sunt.

(3) Evangelia apocrypha. Lips. 1853. — Act. Apost. apocr. Lips. 1851. — Apocalypses apocr. Lips. 1866. 8.

(4) *De Bibliothecis et Catenis Patrum variisque veterum scriptorum collectionibus* (usque ad an. 1703). Lipsiæ 1707. 8.

(5) *Notitia scriptorum SS. PP. aliorumque veteris Ecclesiæ monumentorum quæ in collectionibus anecdotorum post annum Christi MDCC in lucem editis continentur.* Oxonii 1839. 8.

(6) *Bibliotheca Patrum supra ducentos.* Paris. 1575. 8 vol. fol. cum Appendice. Paris. 1579. fol. — Edit. II. Paris. 1589. 9 vol. fol. — Edit. III. Par. 1609. 9 vol. fol. cum Auctario 1610. fol. — Edit. IV. cum Auctario. Paris. 1624. 11 vol. fol. — Supplementum. Paris. 1639. 2 vol. fol.

(7) Colon. Agripp. 1618. 14 vol. fol. — Auctarium et supplem. Colon. 1622. fol.

(8) Paris. 1654. 17 vol. fol.

(9) Lugduni 1677. 27 vol. fol.

bus autem longe locupletior et accuratior prodiit *Bibliotheca Veterum Patrum*, cura Andr. Gallandii, presbyteri Congregationis Oratorii (1).

47. III. Denique nostris temporibus omnium omnino Patrum et veterum scriptorum ecclesiasticorum collectionem, secundum præstantissimas quæ hactenus præ manibus habentur editiones, in lucem emittere anno 1844 aggressus est et, quoad scriptores græcos et latinos, præter exspectationem ad felicem exitum perduxit sacerdos Gallus J. P. Migne. Cujus *Patrologiæ cursus completus* (2), quamvis utique quædam majorem curam desiderassent atque inde non ita magni fiat ab eruditis, facilem jam omnibus accessum aperuit ad fontes qui hucusque paucis patebant. Itaque magis in dies prævalet usus veteres scriptores citandi secundum illam collectionem, ubi in ea editi habentur.

48. IV. Porro, ad complementum materiæ in præsenti capite tractatæ, monendum restat minora quædam documenta alias inedita, reperiri apud scriptores bibliographicos recentiores, qui vel omnia quæ circa res aut doctrinas ecclesiasticas, vel quæ certo quodam idiomate, vel quæ a gentilibus suis aut civibus aut eamdem religiosam regulam professis scripta sunt, vel denique manuscriptos codices quarumdam præcipuarum bibliothecarum accurate et erudite recensuerunt. Quoniam

(1) Venet. 1765-1788. 14 vol. fol. et Append. fol.

(2) Paris. 1844 sqq. Patrologia Latina (usque ad Innocentium III) 217 vol. gr. 8. — Patrologiæ Græcæ Series prima (usque ad Photium) 109 vol. gr. 8. — Series secunda (usque ad Conc. Florent.) 58 vol. gr. 8.

autem de his agendum erit distinctius in sequenti Tractatione, sufficiat hic quasi speciminis gratia nonnulla citasse quæ magis pertinent ad genus fontium quos in præsenti capite indicare propositum erat. Præcipue itaque celebrantur Fabricii (J. A.) *Bibliotheca græca* (1), Montfaucon (Bern. de) *Bibliotheca Coisliniana* (2), Zachariæ (F. A.) *Bibliotheca Pistoriensis* (3); et quoad documenta orientalia, Assemani (J. S.) *Bibliotheca Orientalis Clementino-Vaticana* (4) et Zoega (G.) *Catalogus codicum copticorum manu scriptorum qui in museo Borgiano Velitris adservantur* (5).

Jam ad fontes magis speciales.

(1) Hamburgi 1705. 14 vol. 4. — Nov. Ed. (Cur. G. Harles) 1780-1812. 12 vol. 4.

(2) Paris. 1715. fol.

(3) August. Taurin. 1752. 4.

(4) Romæ 1719. 4 vol. fol.

(5) Romæ 1810. fol.

CAPUT II.

DE DOCUMENTIS CIRCA HISTORIAS SANCTORUM.

—

1. Quantum subsidii historiæ ecclesiasticæ afferant documenta hagiologica, norunt facile omnes qui eam scientiam vel ex limine salutarint. Præcipua igitur quadam cura de his disserendum nobis est in hac Introductione. Id autem præstare conabimur præsenti capite quadruplici articulo, quorum primus erit de actis martyrum et vitis aliorum Sanctorum; secundus, de kalendariis et martyrologiis latinis; tertius, de lectionibus seu, ut aiunt, legendis Breviarii Romani; quartus, de collectionibus ecclesiasticis circa Sanctos apud Græcos et ceteros Orientales (1).

(1) In subsidia ad ambos articulos priores præcipue adhibiti sunt : Molanus. De martyrologiis (in Append. ad Martyrologium Usuardi ab ipso editum). — Baronius. Præfatio ad Martyrologium Romanum. — Bollandus. Præfatio generalis ad Vitas SS. (*Act. SS.* Tom. I). — Henschenius et Papebrochius. Prologus ad Martyrologium V. Bedæ (*Act. SS.* Tom. II. Martii et P. L. t. XCIV). — Ruinart. Præfatio ad *Acta sincera Martyrum*. — Sollerius. Præfatio ad Martyrologium Usuardi (*Act. SS.* Tom. VI. Junii et P. L. t. CXXIII. p. 459). — Fabricius (J. A.) *Bibliotheca Græca* (Ed. Harles) t. X. p. 98 sqq. — Pitra (J. B.) *Etudes sur les Bollandistes, précédées d'une dissertation sur les anciennes collections hagiographiques.* Paris 1850. 8. — De Backer (Aug. et Al.) *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus.* Ed. II. Tom. III. Art. *Rosweyde.*

ARTICULUS I.

DE ACTIS MARTYRUM ET VITIS SANCTORUM.

§ 1. Conspectus generalis circa acta martyrum qui ante Constantinum M. Imp. passi sunt.

2. Satis constat ex certis documentis, jam a primis temporibus Pontifices Romanos et ceteros Episcopos ac fideles summo studio allaborasse, ut ea quæ in interrogationibus et suppliciis Martyrum acta fuerant, quam diligentissime et integerrime relata compararent. Idque variis modis assequebantur. Nimirum ***a.*** Ea nonnunquam ab ipsismet notariis publicis quantovis pecuniarum pretio extorquebant. ***b.*** Nonnulli etiam, cum Martyrum quæstiones habebantur, sese spectantibus gentilibus intermiscebant atque ea quæ tum a judicibus tum a Martyribus dicta actave fuerant diligenter annotantes, postea Acta concinnabant; quæ deinde, antequam in fidelium cœtibus prælegerentur, subjiciebantur recognitioni et approbationi Episcoporum vel aliorum quibus hæc cura demandata fuerat. De quibus in Catalogo Felicis IV in vita Clementis habetur hæc mentio : « Hic » fecit septem regiones et divisit notariis fidelibus Ec- » clesiæ, qui gesta Martyrum sollicite et curiose unus- » quisque per regionem suam diligenter perquireret. » Item in vita Anteri (S. P. an. 235-236) : « Hic gesta » Martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in Eccle- » sia recondidit. » Et in vita Fabiani (S.P. an. 236-250):

« Hic... fecit sex subdiaconos, qui septem notariis im-» minerent, ut gesta Martyrum fideliter colligerent. » *c.* Aliquando ipsi Martyres tormenta quæ ab ipsis vel ab aliis Martyribus superata fuerant, describebant. *d.* Denique Ecclesiæ, ad quas Martyres pertinebant, post consummatum eorum martyrium, totam rerum gestarum seriem in epistola encyclica descriptam ad alias Ecclesias transmittebant.

3. At hæc Acta tam diligenter collecta, pleraque non solum diuturnitate temporum, sed etiam et præcipue persecutorum malitia periere. Cum enim advertissent Christianos se horum publica lectione in sua religione confirmare et ad constantiam in ea profitenda excitare, propositis severis edictis ea, sicut et reliquos Christianorum libros, comburi jusserunt. Quod tempore magnæ Diocletiani persecutionis præcipua diligentia procuratum est (1). — « Tunc temporis, ait Baronius (2), in tanto christianarum scripturarum naufragio factam esse lacrymabilem illam Actorum Martyrum jacturam, nulla est penes nos dubitatio : tuncque sublata illa nobilissima rerum gestarum monumenta tanto labore collecta, tot cognitoribus comprobata, ac tanto denique studio custodita. Vixque ex tam immenso naufragio perpaucas tabulas remansisse putamus; tabulas, inquam, quoniam haud integra atque perfecta et omnibus numeris absoluta illa esse putamus quæ titulo Notario-

(1) Euseb. H. E. l. VIII. c. 2. (P. G. t. XX. p. 743). — Arnob. *Adv. Gent.* l. IV. c. 36 (P. L. t. V. p. 1076).

(2) Præfat. in Martyrol. Rom. cap. 3.

rum Romanæ Ecclesiæ Acta Martyrum a quibusdam edita habentur : cum si vel ad exactam censuram rerum ac temporum ea adducas, vix perpauca reperias quæ aliqua saltem ex parte non arguantur erroris; ut perinde sit aliqua ex his reperiri quæ emendatione non indigeant ut post vindemiam esse solet racemus unus vel alter, et sicut (quod est apud Isaiam c. 17) excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor vel quinque in cacuminibus ejus. »

4. Pace deinde Ecclesiæ restituta, Actorum quæ perierant jacturam reparare utcumque conati sunt Christiani, studiose colligendo ea quæ in tabulis publicis adhuc supererant (1), vel si quædam publica fama nota essent aut eorum relatione qui persecutionum tempore vixerant, ex iis nova Acta conficiendo. Ceterum quam minor esset auctoritas horum Actorum

(1) Sic in epistola Pseudo-Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum (de qua infra pag. 128) de Eusebio Cæsariensi legitur : « Constantinus Augustus, » cum Cæsaream fuisset ingressus et diceret memorato Antistiti ut peteret » aliqua beneficia Cæsariensi Ecclesiæ profutura, legitur respondisse Euse- » bium : Opibus suis Ecclesiam ditatam, nulla petendi beneficia necessitate » compelli : sibi tamen desiderium immobile exstitisse, ut quidquid in Repu- » blica Romana gestum sit erga Sanctos Dei, Judices Judicibus succedentes » in universo orbe Romano sollicita perscrutatione monumenta publica dis- » cutiendo perquirerent, et qui Martyrum, a quo judice, in qua provincia » vel civitate, qua die, quave perseverantia passionis suæ obtinuerunt pal- » mam, de ipsis archivis sublata, ipsi Eusebio regio jussu dirigerent. Unde » factum est ut idoneus relator existens et ecclesiasticam historiam texeret » et omnium pene Martyrum provinciarum omnium Romanarum trophæa » diligens historiographus declararet. » Sed valde incertum est quam fidem mereatur hoc testimonium documenti apocryphi. Ceterum Eusebius revera edidit collectionem Actorum martyrum, ad quam non semel remisit (H. E. IV. 15, V. 21); sed ista collectio interiit, præter librum *de Martyribus Palæstinæ* H. E. lib. VIII subnexum.

satis testatur Gelasius I (S. P. an. 492-496) in celebri suo de libris probandis improbandis decreto, dum inter libros recipiendos recenset : « Item gesta Sanctorum » Martyrum, quæ multiplicibus tormentorum cruciati- » bus et mirabilibus confessionum triumphis inradiant. » Quis ista catholicorum dubitet et majora eos in ago- » nibus fuisse perpessos? Nec suis viribus, sed Dei » gratia et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo, » secundum antiquam consuetudinem, singulari cau- » tela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et » eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur : » et ab infidelibus et idiotis superflua aut minus apta » quam rei ordo fuerit, esse putantur. Sicut Quirici » cujusdam et Julittæ; sicut Georgii aliorumque ejus- » modi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur com- » positæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis » subsannandi oriretur occasio, in Sancta Romana » Ecclesia non leguntur. Nos tamen, cum prædicta Ro- » mana Ecclesia, omnes Martyres, et eorum gloriosos » agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, » omni devotione veneramur. »

5. Ceterum, ut advertit Baronius (1), non tantum cautelæ adhibitum in aliis fuisse videtur ecclesiis (nec postea in ipsa Ecclesia Romana). Quandoquidem in Concilio Carthaginensi an. 401 decretum est Can. 13 : « Liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur. » Et apud Hadrianum I

(1) Præf. ad Martyrol. cap. 2.

S. P. (an. 772-795) in epistola ad Carolum M. hæc in eamdem sententiam leguntur : « Vitæ enim Patrum » sine probabilibus auctoribus minime in ecclesia legun- » tur : nam ab orthodoxis titulatæ suscipiuntur et le- » guntur; magis autem passiones sanctorum Martyrum » sancti canones censuerunt ut liceat eas etiam in eccle- » sia legi, cum anniversarii dies eorum celebrantur(1). »

6. Attamen, quando hæc scribebat Hadrianus, pleraque etiam ex iis Actis quæ sec. IV et V conscripta fuerant, jam perierant, cum paulo post omnes fere Romani imperii provinciæ a barbaris devastatæ et occupatæ fuissent. « Quibus (ait Ruinartius) alia postmodum substituta fuere, sed quæ ad istorum auctoritatem non pertingunt, nedum ad priorum sinceritatem. Ea autem sunt quæ passim in codicibus mss. et editis occurrunt, quæ tametsi primigeniorum actorum puritatem non assequantur, multisque ut plurimum circa personas et tempora scateant mendis, non tamen omnino rejicienda crediderim. Iis accensenda sunt Acta, in summa quidem sincera, sed quæ ab hominibus imperitis temere violata sunt, adjunctis ad priora Acta miraculis, aut Martyrum cum tyrannis concertationibus, quibus, ut sibi videbatur, Martyrum suorum fortitudinem magis celebrarent : quamvis exinde apud viros doctos auctoritate sua ejusmodi monumenta exciderint, etsi passim in iis aliquot prioris sinceritatis veluti scintillæ elucere conspiciantur. »

(1) Citat. ibid.

7. Et simile aliquid dicendum est de actis conscriptis post seculum IX, ubi tot monasteria et ecclesiæ eversa sunt a Normannis ac Sarracenis, et corpora Sanctorum quæ in singulis quiescentia tanta pietate venerari solita erat plebs christiana, vel abscondi vel alio transferri oportuit. Rebus scilicet postea restitutis et locis sacris quæ diruta fuerant reædificatis, novo pietatis studio rursus coli cœperunt vel quasi postliminio reversi sancti quorum antea jam iisdem locis cultus celebris fuerat, vel qui barbarorum invasionibus expulsi aliud quasi favoris sui domicilium elegerant. Inde autem non potuit non oriri vehemens desiderium cognoscendi quibus virtutibus, rebus gestis, miraculis claruerint olim tam dilecti patroni. At sæpissime vel deficientibus vel amissis aut destructis documentis vere historicis, *legenda* eorum confici debuit ex memoriis populari traditione utcumque servatis : cujus in præsenti materia quam suspectum sit testimonium ex alibi dictis (1) facile apparet. Nec utique semel contigit, ut clericus vel monachus qui seculo X aut XI passionem et historiam patroni suæ ecclesiæ vel monasterii conscribendam susceperat, vel reliquiarum aut monumenti custodes et exhibitores, quum non satis multa et eximia per popularem illam traditionem celebrari reperirent, quibus sanctum suum commendarent plebi christianæ ad illum colendum undique confluenti, nonnulla vel etiam non pauca adderent ex aliorum

(1) Tract. I. Cap. III. N. 6 (pag. 37).

sanctorum historiis excerpta (1), neque hac pia fraude de sancto et de plebe male, imo et de omnibus optime mereri sibi viderentur. Inde facile conjici potest quam ægre in his legendis vera a falsis et dubiis secerni valeant. Huic discretioni instituendæ notum est quanto studio et fructu allaborarint socii Bollandiani : quos proinde, ubi aliquod hujus generis documentum adhibendum occurrit, inter primos adire omnino convenit, ut discatur quid hucusque compertum sit circa ætatem ac cetera quæ commendare possint auctoritatem scriptoris.

8. Porro advertisse haud incommodum erit, quatuor distingui posse genera Actorum Martyrum quæ sincera seu fide digna vulgo inter eruditos habentur. Primum illa complectitur quæ ex testimoniis extrinsecis certo novimus ipso tempore persecutionum conscripta esse : qualia nonnulla leguntur apud Eusebium Cæsariensem. — Reliqua tria genera a solis indiciis internis auctoritatem suam mutuantur, sed diverso admodum gradu. Alia enim, dum minutissima quæque et ea in quibus falsarii manus facillime deprehendi solet, pertractant, nusquam, sive quod ad ipsa facta sive quod ad rationem personarum, nominum et morum pertinet, aut sibi non cohærere, aut contra notorum documentorum fidem quidquam referre reperiuntur,

(1) Quod satis manifestant narrationes etiam quoad minutissimas circumstantias et ordinem rerum gestarum simillimæ in compluribus diversorum omnino sanctorum legendis occurrentes.

imo et cum his omnibus, etiam reconditissimis, ita concordare demonstrantur ut certum non videri nequeat auctorem iis ipsis temporibus vixisse quibus illa contigerunt. Exemplum afferri potest historia S. Callisti quæ descripta legitur libro IX celebris operis quod sub titulo *Philosophoumenon* ante hos viginti fere annos vulgatum est. — Alia vero non adeo manifeste sincera se probant, in quibus scilicet non adest tanta indiciorum copia; attamen quum et in scribendi ratione appareat primæva illa simplicitas ceteræque notæ generales quibus Acta certe authentica insigniri solent, neque in iis quidquam ab eruditis reprehendatur quod a moribus vel eventis illius ætatis cui attribuuntur abhorreat, ideo et hæc sine controversia sinceris Actis adnumerari consueverunt. — Quartum denique genus est Actorum, ubi nonnulli quidem nævi eruditorum oculos offendunt, sed simul non pauca exhibentur sinceritatis indicia : adeo ut plus minus depravata potius quam omnino spuria et conficta jure merito censeantur.

9. Atque in iis ipsis quæ simpliciter spuria esse satis liquido apparet, non ideo statim nihil fide dignum existimandum est. Neque enim adeo raro fit ut nomina quædam, notæ temporum vel alia antiquæ et sinceræ traditionis vestigia in illis conservata habeantur, quæ usui esse possint ingenio sagaci ad illam ipsam antiquam traditionem et totius historiæ veritatem, adjuvantibus præsertim aliis indiciis aliunde collectis, vel detegendam vel certe confirmandam. Non immerito igitur summa et numquam satis laudanda diligentia

quotquot reperire potuerunt hujus generis monumentorum reliquiis colligendis et edendis dederunt operam quicumque historiæ ecclesiasticæ studii promovendi solliciti exstiterunt.

§ 2. Conspectus generalis circa acta martyrum et vitas confessorum posterioris ætatis.

10. Paulo fusius dicendum erat de antiquiorum martyrum actis, quod eorum auctoritas multiplicem ob causam magis incerta est. De historiis vero Sanctorum qui sequiori ætate vixerunt brevius hoc loco agere licebit, quum et quo tempore conscriptæ sint et quoad multas etiam a quonam auctore non ita ignoretur; vel, ubi hæc prorsus ignota sint, potius pertineant ad illa genera documentorum de quibus sermo erit sequentibus articulis. Nunc itaque quatenus ad præsentem materiam spectat.

11. I. Acta martyrum qui a tempore Constantini M. sive in imperio Græco-Romano sub Juliano Apostata et sub imperatoribus et regibus hæreticis, sive in Perside et aliis regionibus adhuc maxima ex parte idololatris, sive tandem decurrente medio ævo et recentiori ætate inter gentes idololatras vel ab hæreticis in odium fidei sunt interempti, facilius utique ipso tempore quo passi sunt vel paulo post per testes oculatos accipi et statim scripto consignari potuerunt. Neque illæ notitiæ adeo corruptioni vel jacturæ fuerunt obnoxiæ sicut antiquiores illæ, quæ, ut supra notavimus, tempore

persecutionum generalium, præsertim ultimæ seu Diocletiani, adeo universim conquisitæ et abolitæ erant. Unde et minus periculi habetur in iis adhibendis, præsertim ubi per auctoritatem ecclesiasticam et maxime si Romæ a Sacrorum Rituum Congregatione ad effectum decernendi canonizationis honores examinatæ et approbatæ fuerint.

12. II. At præcipue ferax fuit hæc ætas historiis sanctorum confessorum seu eorum qui, quamvis martyrio ex hac vita non decesserint, publico tamen cultu post mortem suam celebrati sunt, quod persecutionum ævo numquam fiebat. Primus ad hujusmodi scriptionem se contulit Athanasius M., qui Antonii illius Ægyptii, tum ex iis quæ ipse viderat et audierat tum ex narrationibus cujusdam assidui Antonii socii, vitam composuit. Quod exemplum mox secuti sunt Palladius, Hieronymus, Rufinus et alii multi, præsertim in Occidente, ubi in diversis ecclesiis et monasteriis quasi certatim opera data est ut conditorum suorum et illustriorum præpositorum ac fratrum memoria servaretur et coleretur. Hæ *Vitæ*, a testibus plerumque coævis vel etiam quoad multa oculatis, aut ex hujusmodi testium relatione conscriptæ, maximæ sinceritatis speciem præ se ferunt et utilissimum præbent supplementum inopiæ documentorum ad historiam generalem spectantium. Illud tamen non raro incommodi in illis occurrit quod earum auctores, panegyricorum more, magis virtutes sancti magnificis at generalibus elogiis celebrare quam distincte quid egerit notare con-

sueverunt. Multos etiam recentiorum illud offendit, quod pro ingeniorum quasi puerili temporibus medii ævi simplicitate, prodigia omnis generis incredibilem in modum in iisdem historiis congerantur, et quæ forte primo allegorice significata sunt, jam apud suppares secundum proprium et litteralem verborum sensum dicta intelligantur et ita transmittantur ad posteros.

13. Ceterum, quamvis hæc in documentis istiusmodi non paucis vere reprehendi possint, cavendum tamen sedulo est ne ad omnia passim, etiam ad ea quorum auctores noti sunt et graves, illico transferantur, sed res accuratius perpendatur quoad singula. — Præterea advertendum, etiam quoad illa subinde accidisse quod circa antiquiorum martyrum acta nimis sæpe factum dolemus, ut scilicet quæ primo simplici et nullatenus fucato stylo conscripta erant, recentior aliquis, sive ex pietate, sed non secundum scientiam, sive ex alio aliquo non satis sano consilio, ornanda sibi et augenda duxerit : unde præcipua hic etiam prudentia opus est ut antiquiores et sinceriores lucubrationes distinguantur ab interpolatis et adulteratis, eo pacto scilicet ut, sicut dubia pro certis venditanda non sunt, ita quæ non satis certa apparent ne continuo et temere pro falsis et confictis habeantur.

§ 3. De collectionibus hagiologicis.

14. Jam paulo distinctiorem circa documenta de quibus in præsenti articulo agitur notitiam, etiam in hac

Introductione generali jure postularit studiosus historiæ ecclesiasticæ tiro. Cui postulationi ut, quantum brevitas hujus tractationis patitur, fiat satis, duplicem recensionem instituendam duximus, alteram præcipuarum collectionum quæ multorum Sanctorum complectuntur acta, alteram qua Sancti singuli, quorum historiæ hactenus editæ sunt, per secula et regiones ubi vixerunt distributi exhibentur. Hæc posterior tamen ipsa, utpote prolixior, ad calcem hujus voluminis rejicienda visa est (1). Nunc igitur de solis collectionibus, actorum scilicet quæ quoad nos in fontium numero haberi possunt, non autem quæ a recentioribus secundum antiquos fontes sunt confecta. Illius generis præ manibus sunt diverso idiomate conceptæ.

15. I. **Syriace :** Assemani (S. E.) *Acta sanctorum martyrum orientalium et occidentalium* (2).

II. **Armeniace,** tomi IV et sequentes Bibliothecæ selectæ scriptorum classicorum Armeniorum (3).

16. III. **Græce.** 1. Eusebius Cæsariensis acta martyrum collegerat sub titulo *Collectio antiquorum martyriorum* (4); sed opus illud totum interiit, præter librum *de martyribus Palæstinæ* qui libro octavo ejus Historiæ Ecclesiasticæ subjunctus habetur.

2. Palladius, episcopus Helenopolitanus in Bithy-

(1) Append. **A**.
(2) Romæ 1748. fol.
(3) Editæ Venetiis 1853. 20 vol. 12.
(4) Cfr. supra pag. 114. not.

nia, scripsit circa annum 420 librum de vitis monachorum et sanctarum mulierum ad Lausum Præfectum, ex cujus nomine opus istud *Historia Lausiaca* appellari consuevit (1). Quædam illi addidisse vulgo censetur Evagrius quidam monachus Ponticus.

3. Deinde post ejusdem generis libros ab Heraclide et Timotheo Alexandrino conscriptos et jamdudum deperditos, *Historiam religiosam* circa medium idem seculum V edidit Theodoretus Cyrensis episcopus (2).

4. Seculo autem VII, monachorum suæ ætatis usque ad Heraclii imperatoris tempora virtutes descripsit Joannes Moschus, ipse monachus in Palæstina, libro admodum apud veteres laudato, qui inscriptus erat *Pratum spirituale, Viridarium* seu *Novus Paradisus* (3). Cui nonnulla adjuncta fuisse fertur a Sophronio, Joannis discipulo. — Aliæ præterea similis argumenti et tituli editæ sunt lucubrationes, quarum fere fragmenta tantum supersunt in recentiorum amplioribus collectionibus edita (4).

5. Præter hæc habemus celebrem compilationem quam circa medium seculum X instituit Simeon, cognomento Metaphrastes (5), quia scilicet acta martyrum et aliorum Sanctorum non solum diligenter collegit, sed et quædam omittendo, interpolando et

(1) Ed. P. G. t. XXXIV.
(2) Ed. P. G. t. LXXXII.
(3) Ed. P. G. t. LXXXVII.
(4) Harum specimina exhibent *Apophthegmata Patrum* et *Ægyptiorum monachorum historia sive Paradisus* edita P. G. t. LXV. p. 71 sqq.
(5) Ed. in P. G. Serie secunda.

mutando perpolire præsumpsit (1). Ex qua temeritate, ut facile conjicere licet, non parum auctoritati ejus collectionis detrahitur. — Ad eamdem metaphrastarum familiam pertinent Joannes Geometra, Maximus Margunius et Agapias Cretensis (2).

17. IV. **Latine.** Decurrente medio ævo, præter permultas singulares vitas Sanctorum (3) et versiones quarumdam e collectionibus græcis modo indicatis, sat multæ aliæ editæ sunt, non ita tamen magnæ molis, sed paucorum tantummodo Sanctorum historias exhibentes. A quibus proinde recensendis hic abstinendum duximus (4), eo facilius quod quæcumque in iis reperiuntur, leguntur etiam ex iis exscripta, et fere indicato fonte, in recentioribus collectionibus amplioribus, quarum jam indicatio sequitur. Habentur itaque hujus generis :

Mombritii (B.), patricii Mediolanensis, *Sanctuarium sive Vitæ Sanctorum collectæ ex codicibus manuscriptis* (5).

(1) Et nonnullas etiam ex antiquis traditionibus ipse conscripsit. Attamen non omnes quæ sub ejus nomine in codicibus habentur, ipsi attribuuntur ab eruditis. Leo Allatius in *Diatriba de Simeonum scriptis* vitas 122 recenset quas genuinos Metaphrastis fœtus argumentis tam ex stylo quam ex inscriptione ductis judicat. Præterea 539 alias quæ falso illi adscriptæ sint.

(2) De quibus videsis Fabricium, *Bibl. Græc.* (Ed. Harles) t. X. p. 130-132.

(3) Indicandas ad calcem voluminis sub Append. **A**.

(4) Earum recensionem satis fuse persequitur Em. Card. Pitra Diss. cit. p. lxxii sqq. — Inter collectiones fontium autem non computamus *Legendam Auream* Jacobi de Voragine (sec. XIII extr.) neque *Catalogum Sanctorum* Petri de Natalibus (sec. XV) : hi enim potius in metaphrastarum numero collocandi sunt.

(5) Mediolani (1475?) fol.

Lipomani (Al.), episcopi Veronensis, *Historia de vitis Sanctorum* (1).

Surii (Laur.) *De probatis Sanctorum historiis ex Al. Lipomani et mss. codicibus collectis* (2).

Rosweyde (Her.) *Vitæ Patrum. De vita et verbis Seniorum sive Historiæ Eremiticæ libri X. Auctoribus suis et nitori pristino restituti* (3).

Ruinart (Th.) *Acta primorum Martyrum sincera* (4).

Bollandi (J.) ejusque continuatorum *Acta Sanctorum quotquot toto orbe coluntur* (5).

Quibus accedunt acta Sanctorum ad aliquem ordinem religiosum vel ecclesiam aut regionem pertinentium. Harum collectionum hoc loco (6) citabimus tantum duas celebriores, nempe Luc. Dacherii et J. Mabillonii *Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti* (7) et Ghesquière (Jos.) *Acta Sanctorum Belgii* (8).

(1) Romæ 1551. 8 vol. 4. — Ter Lovanii 1564, 1568, 1571. 2 vol. fol.

(2) Colon. 1569. 6 vol. fol. — Venet. 1581. 6 vol. fol. — Cum supplem. Colon. 1576. 7 vol. fol. — Colon. 1617. 4 vol. fol.

(3) Antverp. 1615. fol. — Lugd. 1617. fol. — Antverp. 1628. fol. — P. L. tt. LXXIII, LXXIV.

(4) Paris. 1689. 4. — Amstelæd. 1713. fol. — Veron. 1731. fol. — Aug. Vindelic. 1802. 3 vol. 8. — Ratisbon. 1859. gr. 8. = Profitetur cl. de Rossi (*Roma Sotterranea*, t. I. p. 124) etiam nunc nonnisi pauca addi posse huic Ruinartii collectioni, quæ sincera reputare liceat.

(5) Antverp. 1643 sqq. (hactenus 59 vol. fol.) — (54 prior. vol.) Paris 1867.

(6) Ceteris reservatis ad hujus Tractationis capp. IV et V.

(7) Paris. 1668-1701. 9 vol. fol.

(8) Bruxellis 1783. 6 vol. 4.

ARTICULUS II.

DE MARTYROLOGIIS.

18. Solebant christianæ ecclesiæ quotannis, recurrente die depositionis (seu emortuali) suorum martyrum et episcoporum, eorum memoriam in suis conventibus agere. Unde exorta sunt Kalendaria sive eortologia, ubi scilicet notantur suis diebus martyres vel episcopi quorum memoria celebranda erat. Horum monumentorum antiquissima sunt illa duo seculi IV quæ edidit Bucherius, simul cum Catalogo Liberiano : alterum ubi memorantur *Depositiones episcoporum,* Romanorum scilicet, a Lucio I (an. 253) ad Julium I (an. 337-352); alterum, ubi notatur *Depositio martyrum* ecclesiæ Romanæ. Hoc posterius *Feriale* ecclesiæ Romanæ dicendum monet cl. de Rossi (1), seu tabellam festorum solemnium non mobilium. — Habetur et Kalendarium ecclesiæ Carthaginensis, a Mabillonio editum, quod videtur esse seculi V vel VI. — Alia recentiora fere desumuntur ex libris liturgicis, ubi scilicet indicantur officia singulis diebus celebranda (2).

19. Quibusdam deinde visum est hos singularum ecclesiarum fastos in unum colligere, ita ut singulis

(1) *Roma Sotterranea,* t. I. p. 116.

(2) *Depositiones episcoporum* et *Depositio martyrum* referuntur P. L. t. XIII. p. 464. — Kalendarium ecclesiæ Carthaginensis ibid. p. 1219. — Collectiones liturgiarum citatas V. supra Cap. I. N. 9-11 (p. 74). — Ceterum in animo est elenchum kalendariorum hucusque editorum describere ad calcem hujus voluminis (Append. **B**).

anni diebus singuli vel plures martyres aut alii Sancti colendi assignarentur. Quæ est Martyrologiorum origo.

20. I. Primus omnium scribendo martyrologio operam dedisse olim prædicabatur Eusebius : cujus lucubrationem Hieronymus a se translatam Latinis tradidisse ferebatur. Et quidem res videbatur satis solide probari : 1° Ex testimonio Cassiodori (sec. VI) qui in libro *de institutione divinarum lectionum*, cap. 32 : « Et ideo (ait) futuræ beatitudinis mores, vitas Pa» trum, confessiones fidelium, passiones Martyrum le» gite constanter, quas inter alia in epistola S. Hiero» nymi ad Chromatium et Heliodorum destinata procul » dubio reperitis, qui per totum orbem terrarum flo» ruere, ut sancta imitatio vos provocans ad cœlestia » regna perducat. » 2° Illud autem martyrologium ex Eusebio translatum esse ab Hieronymo testatur Beda : « Quibus adstipulatur (ait) (1) et liber martyrologii, qui » beati Hieronymi nomine ac præfatione attitulatur, » quamvis idem Hieronymus illius libri non auctor, » sed interpres, Eusebius autem auctor exstitisse nar» retur. » 3° Denique producebatur duplex epistola, altera Chromatii et Heliodori episcoporum ad Hieronymum qua ipsum rogabant « ut famosissimos Feriales » de archivio S. Eusebii Cæsareæ Palæstinæ episcopi » inquirens, martyrum ad eos dirigeret festa; » alteram Hieronymi ad eosdem qua se eorum petitioni satisfecisse significat, quæque hæc eadem esse putaba-

(1) *Retract. in Act. Apost.* c. 1.

tur quam citavit Cassiodorus (1). — Verum has epistolas commentitias ostendit jam Baronius (2), sive eæ ante Cassiodori tempora confectæ fuerint, sive postea, et epistola illa de qua loquitur Cassiodorus tradiderit forte excerpta quædam ex libro deperdito Eusebii de martyribus vel hunc ipsum librum latine redditum, qui tamen probabiliter satis magnæ molis fuit (3), ac proinde non recte epistola diceretur.

21. Quidquid sit de ea re, ex verbis Bedæ colligitur seculo VII vel etiam VI extitisse martyrologium quod Hieronymo tribuebatur (4). Cujus inde apographa, diversissime aucta vel contracta (5), martyrologia **Hieronymiana** vocari solent. Nihil autem aliud refert præter nomina Sanctorum martyrum, adjecto die et loco passionis vel memoriæ eorum. « Porro hæc illius libri natura est ut potissimum referat martyrum Ro-

(1) Cassiodori testimonium vid. P. L. t. LXX. p. 1147. — Bedæ, t. XCII. p. 997. — Epistola Chromatii et Heliodori cum responsoria Hieronymi, t. XXX. p. 435.

(2) Præf. in Martyrol. cap. 7.

(3) Cf. Baron. ibid. cap. 6.

(4) Videtur quidem Mansi existimasse illud conscriptum esse seculo VIII vel VII exeunte. Cujus opinionem quum laudasset cl. de Rossi (*Roma Sotterr.* t. I. p. 113. ubi verba Mansii citat), illam refutavit P. V. De Buck (*Etudes de Théologie*, Mars 1865. p. 336), et ipse de Rossi eam deinde (*Roma Sotterr.* t. II. p. XVI) ita explicavit ut concederet primam compilationem antiquiorem esse.

(5) De martyrologii Hieronymiani codicibus et editionibus fuse et eximie suo more agit cl. de Rossi in Prolegomenis tom. II præclari sui operis *Roma Sotterranea* (p. X-XIX). — Illud ex codice Corbeiensi editum a d'Achery et deinde a Vallarsio (inter opera S. Hieronymi) vid. P. L. t. XXX. p. 435. Antiquiora apographa edidit FLORENTINIUS sub titulo *Vetustius occidentalis ecclesiæ martyrologium*, Lucæ 1668. fol.

manorum nomina, non tamen omnia, et alia quoque quæ ejus scriptori innotuerant. Id vero non magno præstitit delectu. Quum enim ei prælucerent complurium ecclesiarum kalendaria, ad singulos dies ea nomina suo martyrologio intulit quæ in kalendariis ad eosdem dies reperisset, nulla ratione habita an ea aliis jam diebus signasset secundum alia kalendaria : ita ut aliquando ter, quater, quinquies atque etiam sæpius iidem martyres redeant, quin etiam martyrum phalanges (1). » In magna nihilominus existimatione habetur hoc martyrologium, quia scilicet « multa derivata in illud sunt ex antiquissimis hagiologiis, eaque non aliter nobis innotuissent nisi auctori venisset in mentem ut in opus suum referret (2). »

22. II. Præter Hieronymianum tamquam antiquissimum celebratum est Martyrologium quod Rosweydus *Vetus Romanum,* Sollerius vero **Parvum Romanum** appellavit. De cujus indole et auctoritate egregie nuper disseruit cl. de Rossi (3). Ejus verba latine reddita hic exscribere visum est. Itaque « Ado archiepiscopus Viennensis in Gallia circa medium seculum IX conscribere instituit compendium Actorum Sanctorum in singulos anni dies distributorum secundum ordinem

(1) Ita P. V. De Buck, *Act. SS.* t. IX. Octob. p. 269. — Non absimiliter Mansi (cit. ap. de Rossi, *Roma Sotterr.* t. I. p. 112). « Si quid sapio (ait) martyrologium istud [a Florentinio editum] ex multis priscis martyrologiis et calendariis bene male inter se consertis conjunctisque confartum est, ut melius centonem dixeris martyrologiorum quam unicum martyrologium. »

(2) Ita Mansi, cit. ap. de Rossi, ibid.

(3) *Roma Sotterr.* t. II. p. XXVII sqq.

kalendarii; et ut normam hujus ordinis assumpsit martyrologium quoddam Ravennæ a se repertum, quod satis antiquum existimavit et comperit transmissum a Romano Pontifice ad episcopum aliquem Aquileiensem. Martyrologium istud exscripsit in capite sui operis : quod et in sua præfatione testatur (1). Verum eruditi seculi XVI, et speciatim Baronius, frustra in codicibus Adonianis eximium illud documentum quæsiverunt; quandoquidem librarii ipsum nulli usui esse judicantes prætermiserant. Repertum tandem fuit in codice ms. Coloniæ, unde illud edidit Rosweidus magno eruditorum applausu, eique titulum præfixit *Vetus Romanum,* atque illud idem martyrologium esse existimavit de quo loquitur S. Gregorius M. in celebri epistola ad Eulogium Alexandrinum (2). Quod autem paucæ quædam festivitates in eo indicarentur, quas

(1) « Huic operi, ut dies martyrum verissime notarentur qui confusi in » Kalendis [s. Kalendariis] satis inveniri solent, adjuvit venerabile et peran- » tiquum Martyrologium ab urbe Roma Aquileiam cuidam sancto episcopo » a Pontifice Romano directum, et mihi postmodum a quodam religioso » fratre aliquot diebus præstitum; quod ego diligente cura transcriptum, » positus apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi. » Ex præfatione Adonis (P. L. t. CXXIII. p. 144. — Ubi habetur et *Vetus Romanum Martyrologium* ex editione Rosweidiana).

(2) « Præter illa enim (ita S. Gregorius) quæ in ejusdem Eusebii [Cæsa- » riensis] libris de gestis Sanctorum martyrum continentur, nulla in archivo » hujus ecclesiæ vel in Romanæ urbis bibliothecis esse cognovi nisi pauca » quædam in unius codicis volumine collecta. Nos autem pene omnium » martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice » nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione missa- » rum solemnia agimus; non tamen in eodem volumine, quis qualiter sit » passus, indicatur, sed tantummodo nomen, locus et dies passionis poni- » tur. » S. Greg. M. Epist. VIII. 29 (P. L. t. LXXVII. p. 930).

seculo VII vel ineunte VIII institutas fuisse constat, id posterioribus interpolationibus attribuendum censuit. At mox post primos applausus ventum est ad criticas disceptationes et diffidentias; et reperto deinde martyrologio Hieronymiano multo locupletiori et multo majorem vetustatem quasi redolente, *Vetus Romanum* Rosweydi non parum decidit ab existimatione qua primo tamquam antiquissimum celebrabatur. Imo nonnulli viri docti, inter quos præclarus erat Fiorentini, opinati sunt documentum istud in unico codice Coloniensi repertum non esse martyrologium citatum et promissum ab Adone in sua præfatione, sed epitomen quamdam operis Adoniani. Sollerius itaque fuse perpendit sententias contrarias ac tandem eam retinendam contendit quæ ait *Vetus Romanum* a Rosweido editum apographum esse codicis ab Adone Ravennæ reperti et in capite suæ lucubrationis exscripti (1). Idem Sollerius censuit Martyrologium citatum a S. Gregorio fuisse Hieronymianum (2) et illi potius competere titulum *Vetus Romanum;* martyrologium autem quo duce usus est Ado et ipsum esse Romanum, sed breve quoddam opusculum, si conferatur cum magna compi-

(1) Soller. Ad Usuardi Martyrologium Prolegom. cap. II (P. L. t. CXXIII. p. 495 sqq.).

(2) Et revera descriptio martyrologii quo utebatur S. Pontifex, in quo scilicet « tantummodo nomen, locus et dies passionis » indicabatur, non autem « quis qualiter sit passus : » hæc descriptio, inquam, optime convenit Martyrologio Hieronymiano, non autem martyrologio ab Adone Ravennæ exscripto et a Rosweido edito, in quo præter nomen martyris, et diem ac locum passionis, subinde alia quædam et speciatim modus passionis, indicantur.

latione Hieronymiana, unde illud *Parvum Romanum* nuncupandum duxit. Porro superiori anno [1867] cl. Taillier illud Gregorii III Papæ martyrologium appellavit : quandoquidem in eo indicatur festum omnium Sanctorum ad diem primam Novembris tamquam proprium Romæ; institutio autem hujus festivitatis laudato Pontifici attribuenda videtur, ac proinde illi etiam, qui ceterum tanto studio cultui Sanctorum promovendo incubuit, solemnem martyrologii editionem attribuendam existimavit Taillier (1). Hanc sententiam autem et appellationem a Taillier propositam recipere equidem non possum, quum repererim et in lucem emiserim Synodum Gregorii III de cultu Sanctorum : ex quo documento discimus a prædicto Pontifice institutam esse quotidianam omnium Sanctorum memoriam in Basilica Vaticana faciendam, non autem annuam festivitatem diei primæ Novembris.

23. » Recensitis jam breviter diversis judiciis a criticis circa celebre martyrologium prolatis, quod hodie nomine illi a Sollerio indito designamus, demonstrabo jam ipsum vere illud esse quod Ado exscripsit Ravennæ; deinde declarabo quanta sit ejus auctoritas ut documenti historici. Quod ad primum attinet, si eruditi superioribus seculis non adeo contendissent de unico textu a Rosweido edito, sed potius operam dedissent aliis hujus textus exemplaribus conquirendis, ea utique

(1) Essai sur les origines et les développements du Christianisme dans les Gaules, in *Bulletin monumental* cl. de Caumont, Sér. IV. tom. II. pp. 267, 268.

reperissent et multa controversiæ capita inde fuissent recisa. Offendi equidem in Bibliotheca S. Galli, volumine 454, præclarum exemplar martyrologii Adonis, quod auctoris ætati æquale vel proximum arbitror, et agnovi illud tamquam unum ex præcellentissimis codicibus ejus lucubrationis qui ad nos pervenerint. Jam vero in eo codice *parvum martyrologium*, expers additionum Coloniensium apographi Rosweidiani, accurate recognitum et emendatum a librario primæ ejus descriptioni coævo, non solum exscriptum est ad calcem præfationis et in capite operis Adoniani, sed et præterea hunc titulum præ se fert : *Incipit Martyrologium Romanum*. En igitur codex præcipuæ auctoritatis, in quo documentum in controversia positum non solum eumdem locum occupat quem habet in codice Coloniensi, sed et insignitur titulo unde excluditur omnino hypothesis illa, juxta quam epitome quædam dicebatur, et præterea demonstratur illud esse martyrologium quod Ado Roma Aquileiam missum indicat; ac denique eodem testimonio ostenditur injuria impugnatam esse appellationem martyrologii *Romani*. Sed et in altero Adonis codice reperi fragmenta ejusdem *Martyrologii Romani*, ac proinde falsum est solo exemplari Coloniensi asservatum esse illud documentum.

24. » Jam devenimus ad quæstionem præcipuam : quænam scilicet indoles, quanta sit auctoritas prædicti documenti... Ex iis quæ inferius in præsenti volumine a nobis exponenda sunt, ostenditur auctorem martyrologii Romani parvi sæpius ab antiquis kalendariis

recessisse in assignandis diebus festivitatum et diversos ab iis indicasse, auctoritate nixum testimoniorum historicorum quæ eo tempore quo scribebat valida putabantur. Id manifestum est ex memoriis Pontiani et Felicis I. Illa ab auctore nostro assignatur 20 Novembris, hæc vero 30 Maii. At in fastis authenticis et antiquis prior refertur ad 13 Augusti, altera ad 29 Decembris. Mutatio autem in martyrologio Romano parvo facta omnino respondet corruptelæ codicum Libri Pontificalis secundum lectionem vulgatam seculo VI (1). Sufficit hoc duplex exemplum, unde res extra controversiam ponitur, ad demonstrandum auctorem martyrologii parvi non ad amussim secutum esse auctoritatem kalendariorum, sed eam pervertisse, præferendo ipsi ex arbitrio suo textus historicos, quin discerneret utrum hi textus essent sinceri an apocryphi, integri an corrupti. Enim vero tota conscriptio illius martyrologii lucubratio est alicujus scriptoris privati, non autem kalendarium quoddam publicum et traditionale. In eo prophetæ Veteris Testamenti et fere omnes præcipui viri quorum nomina reperiuntur in Novo suas habent commemorationes certis diebus : quorum nullum vestigium reperitur in fastis antiquis et traditionalibus cujuslibet ecclesiæ. Manifestum etiam est et in confesso apud omnes auctorem usum esse historia ecclesiastica Eusebii juxta versionem latinam Rufini.... Denique adhibuit Acta martyrum,

(1) V. *Roma Sotterranea*, t. II. pp. 76, 102. — Cfr. ibid. pp. 8, 64.

præcipue Romanorum, et ex iis excerpsit breves notitias historicas, quas adjunxit nudis nominum commemorationibus. Itaque testimonia ex memorato martyrologio desumpta non gaudent auctoritate quadam propria, sed ea potius quam habent documenta quibus nititur in singulis commemorationibus consignandis et enuntiandis.

25. » Videtur quidem ignotus auctor suum opus compilasse Romæ; idque confirmant memoriæ ab ipso consignatæ dedicationum quarumdam ecclesiarum quæ seculo septimo consecratæ fuerunt Romæ et quarumdam festivitatum pariter Romæ institutarum exeunte eodem hoc seculo et ineunte octavo. Unde verissimum arbitror quod asserit Ado, istud martyrologium scilicet Aquileiam missum esse ab aliquo Pontifice Romano. Inde tamen concludere non licet illud ab Ecclesia Romana receptum esse ut suum et umquam ab ea adhibitum esse in usum publicum et solemnem. Verum de hac re disputare propositum nobis non est, nec quidquam refert ad originem ac momentum historicum et criticum illius documenti, ut sciatur utrum ob præstantiam ordinis nitidissimi et accuratæ novitatis quæ in eo relucent, fuerit necne substitutum Romæ loco antiquorum kalendariorum et veterum tabularum martyrologicarum, quæ decursu seculorum satis confusæ evaserant et vix intelligibiles. Certe hæc substitutio facta est ab Adone; qui usus est hoc documento *ut dies martyrum notarentur, qui satis confusi in kalendariis inveniri solent.* Porro ex martyrologio Adonis norma

statuta est quam secuti sunt omnes ii qui post ipsum martyrologia edidere, maxime Usuardus, a quo processit tandem martyrologium Romanum recens. Et ita factum est ut adulterationes primævæ traditionis kalendariorum, quæ in tabulis Filocalianis (1) et Hieronymianis conservata est, auctoritatem quamdam obtinuerint ex usu liturgico. In inquisitionibus historicis autem auctoritas præcipua semper erit apud monumenta traditionis primævæ. » Hactenus cl. de Rossi. Ex cujus verbis facile patet quam parum secundum regulas sanæ criticæ ageret qui auctoritatem martyrologii Romani parvi vel alterius ex eo derivati præponeret auctoritati monumentorum quæ certo sunt longe antiquiora et ex purioribus fontibus ortum habuerunt.

26. III. Tertium martyrologium, inter ea quæ primaria dici possunt, confecit ineunte sec. VIII Ven. Beda. Quod ipse ita describit in catalogo lucubrationum suarum (2) : « Martyrologium de natalitiis » sanctorum martyrum diebus : in quo omnes quos in- » venire potui, non solum qua die, verum etiam quo ge- » nere certaminis vel sub quo judice mundum vicerint, » diligenter adnotare studui (3). » Quum autem in eo labore usus sit Beda monumentis historicis quæ ipsius tempore sincera putabantur, idem de illius Martyrologii auctoritate judicium ferendum est quod de auctoritate

(1) Opusculis scilicet de quibus dicetur infra sub exordio Cap. III.
(2) Qui *Historiæ Ecclesiasticæ* capiti ultimo subjectus est.
(3) P. L. t. XCV. p. 290.

parvi Romani. Ceterum ipsum Bedæ Martyrologium non habemus nisi prout editum est a Floro subdiacono Lugdunensi (an. circ. 830), qui suas additiones ei inseruit nec ulla nota ab ipso Bedæ textu distinxit (1).

27. Ex illo deinde triplici fonte derivata sunt martyrologia quæ sequentibus seculis, præsertim seculo IX, prodiere, nimirum :

IV. Martyrologium metricum Wandelberti, monachi Prumensis in diœcesi Trevirensi (scripsit an. 842), apud quem nonnulla reperiuntur quæ a præcedentibus martyrologis non sunt consignata, quæque ex authenticis libris ac veteribus codicibus se desumpsisse affirmat Wandelbertus; sed, ut recte advertit Sollerius, timendum est ne hæc magis ornate quam vere prædicaverit.

28. V. Circa idem tempus (an. circ. 845) martyrologium suum exaravit Rabanus Maurus, ex monacho Fuldensi archiepiscopus Moguntinus, qui præcipue usus est martyrologio Bedæ et Flori, iis superadditis quæ ad Fuldenses speciatim pertinerent.

29. VI. Celebrior in hoc genere scribendi extitit Ado, archiepiscopus Viennensis in Gallia (obiit an. 875),

(1) Ita post Bollandianos et alios illud edidit Migne, P. L. t. XCIV. p. 799. — Bollandiani autem conati sunt textum Bedæ a Flori et aliorum additionibus distinguere, non tamen satis certis argumentis nixi. = In numero martyrologiorum computandum non esse breve carmen quod sub titulo *Martyrologii poetici* inter Bedæ opera reperitur (P. L. tom. cit. p. 603-606), ex ipsa ejus inspectione facile constat.

cujus opus potius Collectio Vitarum Sanctorum quam martyrologium dicendum est (1).

30. VII. Adoni synchronus fuit NOTKERUS, monachus monasterii S. Galli (obiit an. 912). Qui martyrologium conscripsit maximam partem ex Adonis desumptum. Præ oculis quoque habuit martyrologium Rabani et eo plurimum usus est, adeo ut videri possit unum e duobus iis conficere voluisse.

31. VIII. Denique martyrologorum celeberrimus fuit USUARDUS, presbyter O. S. B. in cœnobio Pratensi seu S. Vincentii Parisiis, qui martyrologium suum composuit circa annum 875, præcipue usus martyrologio Adonis, cujus quoddam quasi compendium confecit, in subsidium adhibitis aliis monumentis ejusdem generis quæ tunc circumferebantur (2). Usuardi martyrologium sæpius transcriptum est et fere in occidentalibus ecclesiis et monasteriis receptum (3), atque etiam in ecclesiis Urbis (4).

(1) Cfr. quæ supra de Adonis opere dicta sunt NN. 22, 25.

(2) Martyrologium Wandelberti editum habetur P. L. t. CXXI. p. 575. — Rabani Mauri t. CX. p. 1121. — Adonis t. CXXIII. p. 201. — Notkeri t. CXXXI. p. 1025. — Usuardi tt. CXXIII et CXXIV.

(3) De Usuardi Martyrologio et variis ejus editionibus V. Soller. Prolegom. ad Usuardi Martyrologium cap. III. art. II. sqq. (P. L. t. CXXIII. p. 537 sqq.)

(4) Id quidem non videtur agnoscere Baronius dum in Tractatione de Martyrologio Romano (cap. 9) causam inquirens cur Molanus « de cunctis Martyrologiis eruditam instituens tractationem, de Romano tamen Martyrologio agere prætermiserit, » id accidisse notat « quod existimavit [Molanus] Romanam Ecclesiam non alio quam Usuardi uti Martyrologio : id enim ipse testatur eodem libello cap. 4 : sicque agens de martyrologio Usuardi, ea ratione et Romano satisfactum putavit : credidit enim nullum aliud reperiri

32. Quum autem nullum ejus extaret exemplar authenticum, non paucæ lectiones diversæ in diversarum ecclesiarum codices irrepserant, « auctumque (1) insuper est sanctorum numero, aliis superadditis martyribus et confessoribus, cum diversarum Ecclesiarum particulares martyres, quorum annua celebritate natalitia agerentur, Martyrologio illi antiquo conjungerentur. Cum autem non æque omnes ab omnibus adderentur Ecclesiis,... inde accidit ut quot essent Ecclesiæ, totidem fere haberentur Romani (2) Martyrologii exemplaria, eademque inter se diversa. Nam (quod satis sit in exemplum adduxisse) ecclesia Principis Apostolorum

Romanum Martyrologium ab eo quod typis excusum Venetiis, scriptum, emendatum, editumque habetur, auctore Alexandro de Peregrinis presbytero Brixiensi. Præterierunt enim Molanum quam plurima antiqua Romani Martyrologii exemplaria, ex quibus quodnam qualeve esset germanum ipsum Romanum Martyrologium, intelligere certius potuisset. Tolerabilis quidem et venia dignus error; cum ipse tam longe positus ea nesciverit, quæ illi qui Romæ agunt, vix magno labore, pervigili diligentia et summa sunt industria consecuti. » Hactenus Baronius, qui scilicet germanum martyrologium Romanum illud esse putavit de quo supra satis fuse actum est (N. 22-25), quodque a Gregorio M. designari perperam arbitratus est (De Martyr. Rom. cap. 8). Verum, ut dictum est supra (N. 25), nullum omnino habetur indicium (neque a Baronio affertur) unde censeri possit istud martyrologium in publico usu fuisse Romæ; et quidquid sit de ea re, certum est martyrologium Romanum recentius secundum Usuardinum (Cfr. N. 25 extr.) editum esse. Ceterum non aliud tunc quando scribebat Molanus (i. e. paulo ante editum Martyrologium Romanum recens) in usu fuisse Romæ quam Usuardinum (varie interpolatum scilicet), constat ex ipsis Baronii verbis, quum alterius illius Romani codices nonnisi paucissimis viris eruditis Romæ commorantibus noti essent.

(1) Quæ sequuntur, leguntur apud Baronium, Præfat. ad Martyrol. Roman. cap. 8.

(2) Baronius scilicet ex gratuito et falso præjudicio existimavit Martyrologium passim usurpatum non Usuardinum fuisse, sed Romanum illud Adonis martyrologio præfixum (Cfr. not. 4, pag. præc.).

in Vaticano, diverso a ceteris Urbis ecclesiis... utebatur Martyrologio... Verum cum non tantum essent inter se diversa, sed mirum in modum depravata, optime consultum est ut... omnes Ecclesiæ... uno eodemque emendato ex aliisque aucto utentes Martyrologio,... pariter omnes in sanctis suis Deum collaudarent. Scimus in eo restituendo piorum ac eruditorum virorum sudasse ingenia, summaque adhibita diligentia, antiquorum multiplicium exemplarium collatione, qui irrepsissent errores ac menda esse emaculata atque purgata : ita tamen ut ab illo antiquo simplici ac minus affectato dicendi genere, quantum licuit recedere non placuerit... Non enim (ut apparet) fuit in præsens Romanæ Ecclesiæ institutum, novum conscribere Martyrologium, sed vetus (ut diximus) ex veteribus exemplaribus restituere. » Ea autem Martyrologii emendatio et auctoritate S. Sedis comprobata editio instituta est extremo seculo XVI. De qua maxime legisse juvabit quæ non magis breviter quam perspicue exposita habentur in Dissertatiuncula eruditissimi viri, cujus immaturam mortem lugemus, P. H. Matagne. Sic igitur ille (1) :

33. « **Le Martyrologe Romain actuel.** On ne croirait pas, à lire la préface du Martyrologe universel de Chastelain (2), qu'il reste encore quelque problème à résoudre dans l'histoire du Martyrologe, dont se sert maintenant

(1) Ap. De Backer, *Bibliothèque*, etc. loc. cit.

(2) In quo præter versionem gallicam Martyrologii Romani, ad singulos dies notati reperiuntur Sancti in hoc non relati, sed cultu publico honorati, sive in Gallia, sive in aliis regionibus.

toute l'église latine. Le savant chanoine de Paris nous donne les noms des commissaires chargés par le pape Grégoire XIII de revoir le Martyrologe, et nous fait assister à leurs délibérations. L'érudition peu commune de l'auteur, son exactitude bien connue nous sont un sûr garant qu'il a trouvé quelque part les renseignements qu'il nous donne. Mais nous regrettons qu'il n'ait pas cité ses autorités, ce qui nous eût permis d'apprécier la valeur de chacune de ses allégations. Prosper Lambertini (Benoît XIV), si bien placé pour découvrir la vérité, n'a malheureusement pas songé à refaire le travail de Chastelain. Il s'est borné à ajouter quelques détails qui ne concernent pas l'origine du livre lui-même. Politi, qui a commenté en un énorme volume infolio le Mois de Janvier du Martyrologe romain, décrit les premières éditions, sans cependant en éclaircir l'histoire. Jusqu'à présent tout ce que nous savons sur cette matière se réduit à quelques vagues indications, dont nous allons présenter ici l'ensemble.

» Grégoire XIII avait résolu depuis un certain temps déjà de soumettre le Martyrologe romain à une nouvelle révision, lorsqu'en 1582, la correction du calendrier étant achevée, il appela plusieurs savants à accomplir cette œuvre. La besogne était beaucoup plus difficile que ne pouvaient le soupçonner le Souverain Pontife, et ceux auxquels il l'avait confiée. Ramener le Martyrologe à la vérité de l'histoire, avec l'aide des manuscrits les plus anciens et les plus corrects, était chose à peu près impossible à cette époque, où l'on

commençait à défricher le champ de l'hagiographie. Les expressions dont Grégoire XIII se sert dans ses lettres d'approbation du 14 Janvier 1584 prouvent aussi que les erreurs du Martyrologe étaient attribuées principalement à la négligence des copistes et des imprimeurs (1). En partant de ce principe, on pouvait arriver à une édition plus ou moins critique d'Usuard, dont le Martyrologe avait été adopté à Rome, mais on écartait d'avance l'idée d'un Martyrologe renfermant les principaux Saints de l'Eglise universelle. L'auteur ou les auteurs du nouveau Martyrologe n'eurent pas conscience des qualités qu'exigeait leur travail et des conditions dans lesquelles ils l'exécutaient. Ils crurent le Martyrologe reçu plus complet qu'il ne l'est réellement, et pensèrent avoir fait à peu près assez en y ajoutant les Saints grecs dont le Ménologe compilé par le Cardinal Sirlet leur fournissait les noms, et tous ceux dont la vie et les miracles sont mentionnés dans les dialogues de S. Grégoire et les œuvres de quelques autres pères. En dehors de ces deux sources on trouve encore un petit nombre de Saints, dont le culte était reconnu dans divers diocèses d'Italie, et que l'on emprunta généralement à Galesini. Les correcteurs Romains ne furent pas

(1) En prima verba hujus approbationis : « Gregorius Papæ XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Emendato jam Kalendario, curavimus (quod antea quoque decreveramus) Romanum Martyrologium nonnullis in locis librariorum typographorumque negligentia mendosum, per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur, adhibitis etiam codicibus vetustioribus atque emendatioribus corrigi, correctumque et multis in locis auctum... edi. »

longs à préparer leur édition. Elle parut à Rome en 1583, chez Dominique Basa. On lit au titre : *Martyrologium Romanum ad novam Kalendarii rationem et Ecclesiasticæ historiæ veritatem restitutum Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum.* Aucune approbation n'accompagne le volume. Il avait à peine vu le jour qu'il déplut, et qu'on le remplaça par une seconde édition plus ou moins modifiée, qui ne vécut pas plus longtemps que la première. Politi donne les variantes des deux éditions pour le Mois de Janvier, [et] nous apprend que la seconde fut... achevée le 27 Mai 1583....

» Baronius, le seul écrivain contemporain qui fasse allusion aux deux premières éditions du Martyrologe, se borne à déclarer qu'elles sont défectueuses et ne méritent pas d'être réimprimées, sans vouloir révéler par la faute de qui cela est arrivé, *quod cujus culpa acciderit, libentius silentio præterimus* (1). Il ne nous dit pas qu'elles aient été supprimées, mais nous le croirions volontiers, vu la rareté des exemplaires, et le peu de temps qui s'est écoulé entre les diverses réimpressions. Enfin en Janvier 1584, Grégoire XIII ap-

(1) Baronius Præfat. ad Martyrol. cap. 8 (statim post verba citata supra N. 32) : « De quo etiam illud necessario lectorem monendum putamus, Ro- » mani Martyrologii triplicem hactenus in Urbe esse factam editionem, » ejusque primam et secundam esse mendosam nec satis dignam quæ ite- » rum prælo tradatur : quod cujus culpa acciderit, libentius silentio præ- » terimus. Tertia editio purior est atque sincerior, facta anno Domini mille- » simo quingentesimo octogesimo quarto : illi enim tantum, ut legitimæ et » germanæ, accesserunt litteræ Apostolicæ, datæ die decima quarta Januarii » eodem anno. »

prouva une troisième édition du Martyrologe et l'imposa à toute l'Eglise. Baronius commenta, revit et corrigea cette œuvre, par ordre du Pape, et la republia en 1586, accompagnée de notes savantes, et que nous ne pouvons assez admirer, malgré des lacunes et des inexactitudes, inévitables à cette époque. Voilà en peu de mots l'origine de Martyrologe romain actuel, qui, en dehors des Saints canonisés depuis 1586, a subi fort peu de changements jusqu'à nos jours.

» Mais qui étaient donc les *eruditi viri* auxquels le Pape donna l'ordre de revoir le Martyrologe? Chastelain en nomme sept, tout en annonçant qu'il va donner les noms des huit commissaires choisis par Grégoire XIII. Ce sont Silvio Antóniano, Bellarmin, Louis de Torres, Baronius, Jean Baptiste Bandini, Michel Ghislieri et Barthélemi Gavanti. Le numéro 7 est omis, et nous ne pouvons combler cette lacune, d'autant moins importante que Chastelain s'est certainement trompé dans sa liste (1). En effet, il faut d'abord en effacer le Théatin Michel Ghislieri et le célèbre Barnabite Barthélemi Gavanti, tous deux trop jeunes en 1583 pour fixer les regards du Souverain Pontife. On ne trouve aucun indice qui prouve la participation des cinq autres à la révision de 1583. Bellarmin, qui mentionne en détail, dans un court abrégé de sa propre vie, les œuvres auxquelles il a pris part, ne dit pas un mot du travail que lui attribue Chastelain. Nous

(1) Cfr. infra pag. 175. not. 1.

St. Albert's College Library

n'avons d'autre objection à présenter contre les noms de Silvio Antoniano et de Jean Baptiste Bandini que l'absence de tout document.... Quant à Louis de Torres, savant homme, fort estimé de Baronius, qui usa de ses conseils dans la composition de ses ouvrages, était-il à Rome en 1582 et 1583, ou plutôt à Morreale en Sicile où il exerça les pouvoirs de vicaire général, pendant que son oncle y occupait le siége archiépiscopal? Nous n'en savons rien.

» Reste Baronius, à qui d'ordinaire on attribue la correction du Martyrologe romain, mais sans aucune preuve.

» Nous avions quelque espoir de trouver la vérité à ce sujet dans les *Annales ecclesiastici* du P. Theiner, qui aurait bien pu consacrer quelques heures de recherche à l'histoire d'une des plus brillantes lumières de son ordre. Nous avons été déçus. Le continuateur de Baronius affirme comme tant d'autres avant lui que son illustre prédécesseur a corrigé le martyrologe approuvé par Grégoire XIII. Il ajoute que le manuscrit autographe est conservé à la Bibliothèque de la Vallicella. Mais jusqu'à preuve du contraire, nous sommes en droit de croire qu'il s'agit du manuscrit de l'édition de 1586, et non de l'une des trois précédentes. Baronius qui parle si souvent dans ses lettres de son commentaire et de l'édition de 1586, aurait laissé entrevoir en quelque endroit ce qu'il avait fait auparavant, s'il avait réellement mis la main à l'édition de 1584, seule louée par lui et autorisée par le Pape Grégoire XIII.

» Chose curieuse et que l'on n'a encore relevée nulle part, Jean Palatius, auteur d'une assez médiocre histoire des souverains pontifes, où il y a cependant des choses qu'on ne trouve pas ailleurs, nomme le correcteur du martyrologe. En effet, nous lisons ces mots dans la vie de Grégoire XIII : *Romanum Martyrologium quod opera Fabii Albergati expurgandum curavit.* L'assertion est positive, mais n'est guère probable. On connaît le marquis Fabius Albergati, bolonais, auteur de plusieurs ouvrages qui ne trahissent aucune des aptitudes spéciales que suppose la révision d'un martyrologe. C'était un diplomate, un publiciste, qu'on nous permette l'anachronisme. Le pape a sans doute fait appel à des théologiens et à des hommes versés dans l'étude des rites et de l'histoire ecclésiastique. Impossible d'imaginer un fait qui justifie l'affirmation de Palatius.

» Nous arrivons donc à cette conclusion toute négative : On ne connaît pas les hommes qui préparèrent les martyrologes de 1583. Il y eut de la précipitation dans leur travail : quelqu'un ne fit pas son devoir et ne répondit pas à la confiance que le Souverain Pontife lui avait témoignée. Cela ressort des paroles de Baronius. On intrigua ensuite et on mit en jeu tous les ressorts pour empêcher le savant oratorien de corriger et même d'expliquer le martyrologe. Cela est prouvé par une curieuse lettre que Baronius écrivit à son censeur Guillaume Lindanus, évêque de Ruremonde, pendant que les *Notationes in Martyrologium Romanum* étaient sous

presse (Baronii epistolæ, T. I. Romæ 1759, page 173) (1). En dehors de ces deux faits, nous ne pouvons rien affirmer. Le problème reste entier et ne sera résolu que par l'étude approfondie des archives romaines. »

34. Quod autem attinet ad primas et præcipuas editiones Martyrologii Romani, præter duplicem anni 1583 et primam approbatam anni 1584, has recenset P. Matagne (2) : « 4. Martyrologium Romanum ad novam Kalendarii rationem et ecclesiasticæ historiæ veritatem restitutum, Gregorii XIII papæ jussu editum. Accesserunt notationes atque Tractatio de Martyrologio Romano auctore Cæsare Baronio Sorano Congregationis Oratorii Presbytero. Cum privilegio et permissu superiorum. Romæ. Ex Typographia Dominici Basæ. M. D. LXXXVI, fol..... — C'est la première édition à laquelle il soit prouvé que Baronius ait mis la main. On

(1) En verba Baronii (l. c.) : « Quod autem ad res nostras pertinet, sic se habent. Notationes in Romanum Martyrologium summi Pontificis jussu, solertique tua industria recognitas, examinatas et præclaris elogiis consignatas, jam Deo juvante sub prælo esse noveris. Mentiar, si dicere satis me posse arbitrer, quibus illæ antea invidorum sint laceratæ calumniis, quibus exagitatæ furoribus ac nebulis propemodum obscuratæ... Quid tandem dicam uno verbo? Judicavit Deus causam meam, utinam non tam severe. Probe nosti, Pater amantissime, quum de his tecum amice quererer in amaritudine animæ meæ, quum potentium robore opprimerer, me divinum implorasse judicium. Quum itaque magis magisque in dies exagitarer, tandem excitavit Deus adversus seniores Israël Spiritum Danielis, ipsum dico Ill. ac Rev. Antonium Caraffam Bibliothecarium Cardinalem... Hic inquam rebus nostris percognitis, egregiis laudibus apud viros quosque eruditos ac denique apud ipsum Summum Pontificem mirifice prædicavit easdemque perquam accurate edendas curavit. »

(2) Ibid. p. 370-372.

y trouve la fameuse Sainte Xynoris (1), dont le savant oratorien n'était pas l'inventeur, puisqu'elle figure déjà dans le texte de 1583, au 24 Janvier. Malgré cette tache et un certain nombre d'autres, les notes témoignent amplement de l'étonnante érudition de Baronius et de sa grande sagacité.

» 5. Martyrologium romanum.... (2) secunda editio ab ipso auctore emendata et compluribus aucta. Antverpiæ, ex officina Christophori Plantini..... M. D. LXXXIX. fol... — Ce n'est pas là une simple réimpression, comme on pourrait le croire d'après le lieu où elle parut. Baronius avait envoyé ses corrections à Anvers. Entre autres, on y remarque l'absence de S^te^ Xynoris, qu'on oublia malheureusement d'effacer de l'Index des Saints, bien qu'on eût biffé ce qui la concerne dans le corps de l'ouvrage et dans l'*Index rerum*. Cette édition de Plantin a été reproduite plus d'une fois par les presses de Paris et de Cologne....

» Baronius publia en 1598, une troisième édition, revue et corrigée, que l'on peut considérer comme pré-

(1) Quidam scilicet Martyrologii editor (Galesinius, ut videtur, Baronii æqualis) quum apud S. Chrysostomum Homil. de Lazaro IV (P. G. t. XLVIII. p. 1007) mentionem legisset Babylæ et τῆς ξυνωρίδος τῶν ἁγίων μαρτύρων, vocem communem ξυνωρίδος, quæ bigam seu currum bijugum significat et per metaphoram a Chrysostomo de pari martyrum Juventini et Maximi usurpata fuerat, nomen proprium perperam judicavit et in Martyrologio suo ad diem 24 Januarii notavit *Antiochiæ sanctæ Xynoridis Virginis et Martyris :* quod mendum transiit in Martyrologii Romani correcti editiones an. 1583, 1584 et 1586.

(2) Reliquus titulus sicut in præcedenti.

sentant les résultats définitifs de ses études sur le martyrologe.....

» 7. Après la mort de Baronius, on fit une nouvelle révision du martyrologe par l'ordre d'Urbain VIII. Les pères de l'Oratoire corrigèrent alors en plusieurs endroits les commentaires de Baronius d'après ses notes, et les joignirent au nouveau texte, que le Pape Urbain VIII ordonna d'adopter dans toutes les impressions subséquentes..... (1)

» Après cette révision, il faut descendre jusqu'au pontificat de Benoît XIV, pour trouver dans le martyrologe d'autres changements que ceux qne nécessitait la canonisation des nouveaux Saints. Ce pape a rendu compte de ses travaux dans une lettre adressée à Jean V, roi de Portugal. On la trouve d'ordinaire en tête des exemplaires imprimés sous Benoît XIV. Elle est suivie du Traité de Baronius (2). »

35. Porro ex iis quæ hactenus disputata sunt, manifeste constat nullam præcipuam auctoritatem tribuen-

(1) De hac editione Gavantus, *Commentarii in rubricas Breviarii Romani* Sect. V. cap. XXI. n. 7. (*Thesauri Sacrorum Rituum*, Venet. 1769, t. II. p. 118): « Recognita fuit rursus Urbani VIII jussu, additis SS. Festis, qui nuper canonizati sunt.. : tum vero emendatus fuit textus multis in locis juxta veritatem certissimæ historiæ, me quoque minimo omnium collegarum præsente; et minus certa interim commisimus tempori decernenda maturius, quod intelligantii, quæso, qui mutationem optavere majorem in ipso textu. » — Præcipua autem quædam emendatio fuit, ut deleretur nomen Sulpicii Severi (Cfr. infra N. 37 extr.).

(2) Utrumque hoc documentum præmitti etiam solet recentioribus Martyrologii editionibus. — Ceterum, prolixa illa Benedicti XIV epistola (ex qua pauca citantur infra N. 38) fere in eo versatur ut rationem reddat cur quorumdam Sanctorum nomina Martyrologio inserta, cur vero quædam, pridem deleta, restituta non sint.

dam esse huic Martyrologio tamquam fonti historico præ martyrologio Usuardino, Menologio Sirletano, Dialogis S. Gregorii M. et aliis documentis antiquioribus unde confectum est. Quod si qua in eo occurrant quæ in illis documentis non reperiantur, hæc habenda sunt tamquam testimonia scriptorum plerumque ignotorum, qui extremo seculo XVI aliqua retulerunt ex fontibus ignotis.

36. Nec dicatur summam ei auctoritatem accessisse ex approbatione Summorum Pontificum qui illud receperunt ut Romanæ Ecclesiæ proprium et in omnibus ecclesiis solum, exclusis aliis, adhiberi jusserunt. — Nam facile respondetur : Quamquam sapientissime vetuerunt Summi Pontifices ne particulares ecclesiæ nomina quædam vel legendas insererent Martyrologio quod in officio liturgico legitur, jusseruntque ut omnes eodem Martyrologio, illo scilicet quod pro usu Ecclesiæ Romanæ a S. Sede approbatum fuit, uterentur, nequaquam tamen hic sensus fuit hujus approbationis ut ex ea censeretur jam certa esse veritas eorum quæ in ipso referuntur, imo neque sanctitas omnium illorum quorum nomina ipsi inserta sunt. Ad quod ostendendum sufficiet citasse verba Benedicti XIV ita id declarantis in celebri suo opere *De servorum Dei Beatificatione* (1) : « Si vero (ait) his quæ modo dicta sunt » [de infallibilitate Summi Pontificis in judicio Canoni-

(1) Lib. I. cap. 43.

» zationis SS.] opponatur aliquos errores in Martyrolo-
» gium Romanum aliquando irrepsisse, qui subinde
» correcti sunt, et pauca quædam etiam corrigenda
» superesse : qui id opponat scire debet nihil in eo esse
» commune cum re de qua nunc agimus. In Martyro-
» logio enim Romano inscripta sunt nomina eorum qui
» fuerunt solemniter per Summos Pontifices canonizati,
» de quibus utique nullus error inveniri potest. Sed in-
» scripta quoque in eo reperiuntur aliorum nomina qui
» in album Sanctorum numquam a Summis Pontifici-
» bus relati sunt, sed tantum vel *formaliter* vel *æqui-*
» *pollenter* beatificati dici possunt, sive per Romanos
» Pontifices sive episcoporum judicio juxta antiquam
» disciplinam : circa quos quatenus aliquis error irrep-
» sisset vel adhuc permaneret (qui tamen nec irrepsit
» nec adest quoad eos qui inter Beatos a Romanis Pon-
» tificibus relati sunt postquam ad eos relatum est jus
» privativum indulgendi Beatificationis honores) nemo
» est qui non videat ex hoc ad rem præsentem nihil in-
» ferri posse. Aliquid nempe ex hoc argumento evince-
» retur si descriptio in Martyrologio Romano, spectata
» sua natura et indole, Canonizationem formalem vel
» æquipollentem importaret, etiamsi qui sunt descripti
» non fuissent antea formaliter vel æquipollenter cano-
» nizati. At id numquam probari poterit : nam ex alibi
» dicendis constabit pertractatam alias fuisse in Sacro-
» rum Rituum Congregatione quæstionem, *Quid impor-*
» *tet descriptio in Martyrologio, et utrum ad quamdam*
» *Canonizationis an ad quamdam Beatificationis spe-*

« *ciem referri possit,* nec eam usque adhuc potuisse » resolvi (1). »

37. Idem in eodem opere alias (2), mentione facta nonnullarum controversiarum quæ circa Sanctorum quædam nomina Martyrologio inserta sive retinenda sive expungenda fuerant agitatæ : « Quid vero (ait) de » hac et aliis pluribus consimilibus controversiis Mar- » tyrologium Romanum respicientibus dicendum sit, » nolumus in præsenti judicium ferre. Illud tantum » dicimus, per hæc non minui auctoritatem Mar- » tyrologii Romani, opera tot illustrium virorum » emendati... Illud quoque cum Florentinio animad- » vertimus, etsi aliqua in Martyrologio occurrant cor- » rectione digna, non esse cujusque agere censorem, » sed Ecclesiæ judicium esse expectandum. — En » verba Florentinii in Admonit. II ad suum Martyro- » logium pag. 51 : « Ceterum, etsi aliqua videantur » » animadversione digna, non cujusque juris est cen- » » sorem agere, sed expectandum quousque, re ma- » » ture discussa, emendationem, si opus est, Ecclesia » » ipsa decernat. » — Insuper monemus, aliud esse » Canonizationis judicium, aliud appositionem nominis » in Martyrologio Romano; atque adeo ab errore, » qui forte contigerit in Martyrologio Romano, non

(1) Opp. Benedicti XIV (Romæ 1747) Tom. I. — Hæc editio facta est sub oculis Benedicti XIV jam Summi Pontificis.

(2) Lib. IV. part. II. cap. 17. nn. 9, 10. — Hæc et quæ citantur Num. seq. paulo fusius exscribenda duximus, quia SS. DD. Pius IX ad ea remittit in decreto infra citando.

» recte inferri in judicio quoque Canonizationis errorem
» contingere posse, quemadmodum bene argumentatur
» Christianus Lupus... Postremo asserimus, *Apostoli-*
» *cam Sedem non judicare, inconcussæ esse et cer-*
» *tissimæ veritatis quæcumque in Martyrologium*
» *Romanum inserta sunt*.... Quod et optime colligitur
» ex mutationibus et correctionibus a Sancta ipsa Sede
» demandatis... — Nec vero urgent Apostolicæ lit-
» teræ Gregorii XIII Martyrologio Romano præfixæ;
» in quibus dicitur emendatum fuisse Martyrologium
» Romanum, idque esse legendum in Choro, nec ulla
» in re minutum, auctum aut mutatum esse edendum.
» Ex hoc etenim recte non infertur, omnes et singulos
» errores fuisse a Martyrologio sublatos; nec viris in
» Ecclesiastica historia peritis prohibitum dici potest
» confugere ad Sanctam Sedem, si novæ correctionis fun-
» damenta suppetant : quod ex ipsa colligitur Sanctæ
» Sedis disciplina, quæ etiam post litteras Apostoli-
» cas supra memoratas Gregorii XIII novas Martyro-
» logii correctiones demandavit et admisit.... Quocirca
» postquam Florentinius meminit correctionis Marty-
» rologii factæ sub Urbano VIII, asseruitque tunc e
» Martyrologio fuisse deletum nomen Sulpitii Severi,
» in Admonit. II pag. 51 ita concludit... : « Non equi-
»» dem Gregorius XIII multa laude alioquin dignus,
»» postremam Ecclesiasticis tabulis emendationem
»» decrevit, sed, quantum potuit, emendatas prodire
»» curavit, nec omnem exhaurire potuit quam habet
»» Romana Sedes in examinandis Ecclesiasticis libris

» auctoritatem. Ita acerrimi judicii Pontifex Urba-
» nus VIII nostro seculo demonstravit, qui Sulpitium
» Severum tam ex ipso Romano Martyrologio quam
» ex Breviarii lectionibus Sancti Brunonis prodigio-
» sam conversionem expunxit (1). »

38. Idem Pontifex in litteris Apostolicis *Postquam intellexímus* (2) n. 2 : « Minime nos fugiunt (ait) multæ » gravesque controversiæ quæ circa Romanum Mar- » tyrologium agitantur : ab aliis quidem, quos scientia » inflat, inexplicabili quadam dubitandi prurigine; ab » aliis vero, qui ad sobrietatem sapiunt, eo consilio, ut » quæ subobscura sunt vel incerta, nova quadam veri- » tatis luce donentur. Ab hisce tamen quæstionibus » duximus omnino abstinendum; quandoquidem hac » in re illud nobis proposuimus, ut ab accuratis Mar- » tyrologii correctionibus, quarum prima Grego- » rio XIII prædecessore nostro Ecclesiam gubernante, » altera vero sub Urbano VIII nostro item prædeces- » sore peracta est,.... nullo pacto recedamus. Quo- » circa, si quæ infra dicturi sumus rite expendantur, » Majestati Vestræ perspectum erit, nostras hasce in » Martyrologio curas eo tantum contendere, ut quæ » post evulgatas correctiones supervacanea occurrunt, » resecentur, quæ vero deficiunt, superaddantur. Hoc » autem semel posito, et anteactis emendationibus nihil

(1) Opp. Bened. XIV. (Ed. cit.) t. IV. p. 714-716.

(2) Die 1 Julii 1748 ad Joannem V Portugalliæ regem datis, quæ hodiernis Romani Martyrologii editionibus præfixæ leguntur.

» detrimenti et novæ huic editioni utilitatis multum » accedit. » Hactenus Benedictus XIV.

Porro quænam, secundum hactenus allata, Martyrologio Romano tribuenda videatur auctoritas, distinctius indicabimus paulo inferius in conclusione sequentis articuli de legendis Breviarii Romani. Utriusque enim documenti parem in hac re esse rationem facile constat.

ARTICULUS III.

DE LEGENDIS SS. IN BREVIARIO ROMANO (1).

39. I. Morem certis horis orandi per psalmorum et hymnorum cantum seu recitationem, admodum antiquum esse in Ecclesia ostendunt testimonia Clementis Alexandrini (2), Tertulliani (3), Cypriani (4), Auctoris Constitutionum Apostolicarum (5), Hieronymi (6), Cas-

(1) Cfr. GRANCOLAS (J.) *Commentaire historique sur le Bréviaire Romain.* Paris 1727. 2 vol. 12. Deinde sæpius editum latine. — CANGE (DU) *Glossarium med. et infimæ latinitatis*, ad v. *Breviarium.* — GAVANTUS (B.) *Thesaurus sacrorum rituum,* cum additionibus MERATI. — ZACCARIA (F. A.) *Bibliotheca ritualis*, lib. I. cap. IV. Art. IV (t. I. p. 107 sqq.). — SOUSA (Em. DE) Dissert. *de gravissima auctoritate Romani Breviarii in re historica*, in Append. II ad Opus suum *de expeditione hispanica S. Jacobi,* Tom. II. Ulyssipone 1727. fol. — CORRO (D. DEL) *Dissertatio theologico-critica de argumenti ex Breviario Romano in rebus historicis petiti valore.* Hispali 1739. 4.

(2) Stromat. VII. 7.

(3) De Jejunio, c. 10. — De Oratione, c. 25.

(4) De Orat. Domin., cc. 34, 35.

(5) « Precationes facite Mane, Tertia, Sexta, Nona, Vespere, atque ad galli cantum. » l. VIII. c. 34.

(6) « Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant. » Epist. 108. n. 19. — It. Epist. 22. n. 37; Epist. 106. n. 9; Epist. 130. n. 15.

siani (1) et aliorum : quin et ad Apostolicam institutionem (2) jam refertur a Tertulliano (3).

40. II. De lectionibus erudite Grancolas (4) : « Mos Scripturas legendi a Synagoga profectus est, ubi singulis sabbatis capita aliquot ex lege et prophetis legebantur. Idem omnibus retro seculis liturgiæ tempore factum est; atque vetus et novum Testamentum prælegebatur, populoque explicabatur, S. Justino teste Apolog. 1 [I. n. 67 et Tertulliano] Apolog. c. 38. Videamus vero, quo pacto Lectiones in noctis et diei officia invectæ fuerint.

41. » Est a nobis non semel admonitum, Romæ olim in Missa tantum, non vero in noctis officio lectiones fieri solitas fuisse; quod modo probandum est. Theodemarus Casinensis Abbas in Epistola sua ad Carolum M. Imp. apud Paul. Diac. affirmat, S. Gregorium Papam sive Honorium primos lectionibus in Romano officio usos fuisse, atque ad illorum exemplum monachos quoque officio suo inseruisse : *In Ecclesia Romana Sacras Scripturas legi mos non fuerit ante B. Gregorium....* Præterea in veteri-quodam Ordine Romano e codice manu exarato Sangallensis Monasterii descripto atque a Thomasio pag. 404, 405 edito facultas datur diebus festis tot lectiones legendi quot cuique libuerit, quia olim, ait Ordo ille Romanus, nullæ dici solebant : *Lectiones quinque aut septem*

(1) De Can. diur. orat. (De cœnob. inst. l. III.) c. 3.
(2) Cfr. Act. III. 1. X. 9. XVI. 26.
(3) Loc. cit.
(4) Op. cit. lib. I. c. 32.

aut novem, ut libuerit, quia antiquitus talis consuetudo non fuit.

42. » Cum Romæ lectiones nocturno officio inseri cœperunt, illæ e Scripturis tantum peti solebant; quod ad hunc diem in officio feriali servatur. Postquam vero plures Nocturni instituti fuere, ordo ille servatus est, qui adhuc tribus ante Pascha diebus servari solet, atque Patrum sermones varietatis gratia inserti fuere. Ad tertium vero Nocturnum, novum Testamentum legebatur, non vero Evangelium, quia Missæ Lectioni destinatum erat. Verum postea tertii Nocturni ordo mutatus fuit, ad exemplum S. Benedicti, qui primo Nocturno vetus Testamentum, deinde Evangelium legi jussit; satius visum est ad nimiam officii longitudinem vitandam, ut Evangelii initium ad tertium Nocturnum legeretur, atque Homilia, sive cujusdam Patris explicatio illi adderetur, ut quemadmodum Lectiones secundi Nocturni explicatio Patris cujusdam Lectionis in primo Nocturno recitatæ, atque e veteri Testamento petitæ, censebantur, ita etiam tertii Nocturni Lectiones explicationem quamdam Evangelii a quodam Patre traditam complecterentur. At vetus mos tribus ante Pascha diebus servatus est.

43. » Ordo Lectionum e Scriptura, qui hodie Romæ servatur, refertur in cap. *S. Romana* dist. 15. atque a Gratiano Gelasio Papæ tribuitur. Verum dubitandum non est Decretum illud a Gregorio Septimo esse editum, qui morem Ecclesiæ suæ longe ante sua tempora servatum confirmare tantum voluit.

44. » Quidquid in ecclesia præter Scripturam legebatur, ab episcopo vel a Synodo approbandum erat : nihil autem a laicis hominibus compositum legi poterat, juxta Concilium Laodicænum Can. 55. *Nihil a plebe editum legatur in Ecclesia.* Concilium Carthaginense tertium statuit, ut *nullæ preces, orationes legantur nisi sint in Synodo approbatæ,* Can. 23.

45. III. » Martyrum vero Acta ipsorum Sanctorum festo legi sinit Concilium Milevitanum Can. 12. *Legi passiones Martyrum in eorum anniversario.* Trullanum falsa Martyrum aliorumque Sanctorum Acta legi vetat Can. 63. *Quæ a veritatis hostibus falso confictæ sunt Martyrum historiæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, et qui ea audituri essent ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi. Qui eas admittunt, anathematizamus.* Concilium istud tam aperte falsas Martyrum historias in ecclesia legi vetans satis demonstrat, eas, quæ genuinæ erant, legi solitas fuisse. S. Cæsarius quoque Serm. 140 et 300 apud S. August. Actorum Martyrum meminit, quæ ipsorum festis legebantur. Fiebat autem id in ipsorum tantum Ecclesiis, aut titulis, ut Hadrianus Papa adnotavit, qui eas primus in S. Petri Ecclesia legi curavit (1). Testis quoque est S. Augustinus Serm. 315 quam diligenter Acta illa perpenderentur, aitque nihil de S. Stephano timendum esse, quia ejus martyrii histo-

(1) « Passiones Sanctorum vel gesta ipsorum usque Adriani tempora tan- » tummodo ibi legebantur, ubi ecclesia ipsius Sancti vel titulus erat. Ipse » vero a tempore suo recitari jussit et in ecclesia S. Petri legendas esse con- » stituit. » Ita Ordo Romanus citatus supra N. 41.

ria in Scriptura legatur. *Cum aliorum Martyrum gesta viæ inveniamus, quæ in eorum solemnitatibus recitare possimus, hujus passio in Canonico libro est.* S. Augustini ætate exiguo numero Martyrum Acta cognita erant. Gregorius Turonensis lib. 1. de glor. Martyr. 86 Actorum S. Polycarpi meminit, quæ ejus festo die lecta fuerant.

46. » Martyrum Actorum lectio ad Missam fiebat, actaque illa Missalibus, sive Sacramentariis inserta fuerunt, atque ante Epistolam et Evangelium legebantur, brevisque quædam repetitio in Præfatione fiebat. Servatus fuit mos iste in Gallia ad nonum usque sæculum, in Hispania vero ultra X, quemadmodum ex liturgia Gallicana discimus; conscendebantque episcopi cathedram ad ea sub missæ medium explicanda; eaque est origo homiliarum, sive sermonum, quos Patres in Martyrum laudem pronunciabant. Romani lectiones istas Martyrum Missali suo inseri passi non sunt, ut ex Missalibus Gelasii vel S. Gregorii videre est, quæ vel in ipsis Præfationibus de Martyrum et tormentorum genere iis verbis meminerunt, ut falsitatis nequaquam redargui possint. Optandum autem esset, ut eadem cautio in nocturnis officiis servata fuisset. »

47. Hactenus Grancolas (1). Porro IV. « Tametsi (2)

(1) Cui tamen contradicunt del Corro et Martene, censentes nimium auctoritatis ab ipso tribui Theodemaro Casinensi, dum secundum illum ait neque Scripturas in officio lectas fuisse ante tempora Gregorii M. Verum quæ opponunt testimonia, eum morem quidem longe antiquiorem esse probant in aliis ecclesiis, non autem id asseri posse quoad ecclesiam *Romanam*.

(1) Ita MARTENE, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis*, cap. 5. n. 6.

suæ singulis diebus assignatæ essent lectiones, non eo erant tamen modo distinctæ, qui hodie in breviariis est digestus. Sed assignatum Scripturæ librum aut SS. Patrum tractatum, sermonem sive homiliam, aut alicujus Sancti passionem lector percurrebat, quoad usque faciendum finem chori præses significasset. Lectiones autem terminandi varius fuit modus. Aliquando enim præses manus plausu lectioni finem imperabat, qui ritus, teste Cassiano lib. 2. cap. 11 præsertim viguit apud monachos. Aliquando Carolus Imperator finem lectionis sono gutturis imperavit, uti legimus in libro de ecclesiastica cura Caroli Magni cap. 7. In Turonensi S. Martini Basilica qui choro præerat alta voce clamabat *fac finem*, statimque lector parebat. Vidi in Majori Monasterio vetus lectionarium in cujus lectionum fine legitur *fac finem*. In Romana Ecclesia cum lectiones singulæ finiendæ essent, diaconi præcinebant *Tu autem Domine*, uti Benedictus S. Petri Canonicus et Cencius præscribunt in suis Romanis ordinibus, pag. 123 et 174. Quem versiculum lector prosequebatur. Sed Carthusienses monachi lectiones ex Prophetis hoc versiculo terminabant : *Hæc dicit Dominus* : *Convertimini ad me, et salvi eritis*, ex antiquis statutis parte I. cap. 35. In quibusdam locis lector pridie lectiones terminabat, lectionis finem aut cera apposita designans aut ungue signum imprimens. Hinc præfatus liber de ecclesiastica cura Caroli Magni : « Nullus ad terminum (lectionum) vel ceram apposuit » vel saltem unguibus quantulumcumque signum im-

» pressit; sed cuncti omnia quæ legenda erant ita sibi » nota facere curaverunt ut quando inopinato legere » juberentur, irreprehensibiles apud eum inveni- » rentur. »

48. Ceterum in majoribus ecclesiis mos invaluit distinctos codices concinnandi, ubi quæ ad officium divinum et missam legenda erant descripta vel indicata essent. De qua re advertit Martene (1) « non a recentibus solum lectiones suas singulis diebus proprias fuisse designatas, sed etiam ab antiquioribus. Laudat ea de re Claudianum Mamerti Viennensis episcopi (2) fratrem Sidonius Apollinaris lib. 4. Epistola 11, ubi sic canit :

« Psalmorum hic modulator et Phonascus
» Ante altaria, fratre gratulante,
» Instructas docuit sonare classes.
» Hic solemnibus annuis paravit
» Quæ quo tempore lecta convenirent. »

Eamdem gloriam Museo tribuit Gennadius (3) cap. 79 : « Museus (4), inquit, hortatu S. Venerii episcopi (Mas- » siliensis) excerpsit ex sanctis Scripturis lectiones » totius anni festivis aptas diebus, responsoria etiam » et psalmorum capitula temporibus et lectionibus con- » gruentia : quod opus tam necessarium in Ecclesia

(1) Ibid. n. 5.
(2) Qui obiit an. 477.
(3) *De viris illustribus* seu *de scriptoribus ecclesiasticis.*
(4) Qui obiit (test. Gennadio ibidem) Leone et Majoriano imperatoribus i. e. an. 457-461.

» comprobatur ut expeditum... (1) » In Africa etiam certis diebus certæ dicebantur lectiones, quæ ita erant annuæ ut aliæ esse non possent, ut docet S. Augustinus initio expositionis in primam Joannis. Hinc forte capiendum est id quod de Zacharia Summo Pontifice [an. 741-742] scribit Liber Pontificalis : « Hic in Ec- » clesia prædicti Principis Apostolorum omnes codices » domus suæ proprios, qui in circulo anni leguntur ad » matutinum, in armarii opere ordinavit. » Et Canon II Concilii II Bracarensis [an. 572] : « Placuit ut per die- » rum solemnium vigilias vel missas omnes easdem, et » non diversas lectiones in Ecclesia legant. » Hactenus Martene.—Libri autem ubi lectiones ita descriptæ erant dicebantur *Lectionaria* (2), vel nominibus magis specialibus *Homiliaria, Legendaria, Passionalia* (3).

49. V. Jam quod ad **Breviarium** spectat, ipsum nomen, quo pridem compendiosa aliqua prolixioris libri recensio significari solebat (4), primus speciatim de ordine officiorum divinorum usurpasse

(1) Præterea citari hic potest S. Cæsarius Arelatensis (ob. an. 544), de quo auctor ejus Vitæ l. I. c. 31 ait, illum Patrum homilias collegisse, quas in officio per anni cursum distribuerat, ut nihil nisi pietati conciliandæ aptum in ecclesia legeretur.

(2) Inter quæ celebris est *Liber Comitis*, qui S. Hieronymo attribuebatur (ed. ap. Mansi, Coll. Conc. t. XVIII. p. 890).

(3) Videsis hæc verba in Glossario Cangii.

(4) In diplomate Ludovici Pii ad preces Aldrici Cenomanensis episcopi concesso, ubi recensentur jura decimarum ejus ecclesiæ, legitur : «... et cen- » sus omnium vicorum in eadem parrochia consistentium, sicut in plenariis » et breviariis [libris rationalibus utique] ejusdem Ecclesiæ habetur inscrip- » tum. » (Ap. Baluz. *Miscellan.* Ed. Mansi t. I. p. 88. p. 1 extr.)

creditur auctor qui latere voluit sub nomine *Micrologi* (1), extremo seculo XI. Quo tempore designabat librum totius ecclesiastici officii ritus et cæremonias continentem tam officii recitandi quam missæ celebrandæ ac præterea peculiares quasdam præcipuarum solemnitatum observantias. Id colligitur ex codice ms. ad usum Casinensis monasterii exarato Alexio Comneno imperante, i. e. circa annum 1100, ubi exhibetur « Bre- » viarium seu ordo officiorum per totam anni decur- » sionem (2). » Cur autem divinum officium *Breviarium* fuerit appellatum, non una est scriptorum sententia. Longe veri simillimum post alios existimat Zaccaria (3) illud nomen hæsisse officio ex contractione quam Gregorianum seu quod in Sacramentario S. Gregorii indicatur officium subiit.

50. Hanc autem contractionem primum auctorem habuisse vulgo existimant S. Gregorium VII (S. P. an. 1073-1085), cui adjudicatur ordo præscriptarum ex sacris Scripturis in divino officio lectionum, quem exhibet Gratianus Decr. Dist. 15. c. 3. § 82. In quo ordine advertendum est nullam mentionem fieri lectionum circa historias Sanctorum, sicut nec apud *Micrologum*, qui librum suum occasione illius Gregoriani Breviarii editionis scripsisse censetur (4).

(1) *De ecclesiasticis observationibus*, cap. 28 (P. L. t. CLI. p. 100) : « .... sicut etiam in antiquis Breviariis ordinatum reperimus. »

(2) Ap. ZACCARIA, *Bibl. Rit.* l. c. n. 1.

(3) Ibid.

(4) Certe Gregorii VII tempore illum scripsisse ostendit exordium cap. 43, ubi : « Gregorius (ait), hujus nominis papa septimus apostolicæ sedi præsi-

51. « Novis deinde (1) contractionibus obnoxium Breviarium nostrum fuit. Audiamus *Radulphum* de Rivo seculo XIII decanum *Tungrensem* in libro *de canonum observantia* (prop. XII) : « Olim, inquit, quando » Romani Pontifices apud Lateranum residebant, in » eorum cappella servabatur Romanum officium non » ita complete sicut in aliis Urbis ecclesiis collegiatis. » Imo Clerici Cappellares, sive de mandato Papæ, sive » ex se, officium Romanum semper breviabant et sæpe » alterabant, prout Domino Papæ et Cardinalibus con- » gruebat observandum. Et hujus officii ordinarium » vidi Romæ a tempore Innocentii Tertii recollectum. » Et istud officium breviatum secuti sunt Fratres Mi- » nores. Inde est, quod Breviaria eorum et libros inti- » tulant *secundum consuetudinem Romanæ Curiæ*.... » Aliæ autem nationes orbis libros et officia sua habent » e directo ab ipsis Ecclesiis Romanis, et non Cappella » Papæ, sicut ex libris et tractationibus Amalarii, » Walafridi, Micrologi, Gemmæ, et ceterorum de offi- » cio scribentium colligitur evidenter. » Breviatum tamen prædictum officium Romæ, sola excepta Late-

» dens constituit ut Sanctorum omnium Romanorum pontificum et marty- » rum festivitates solemniter ubique cum pleno officio celebrentur. » Alias ordinationes circa divina officia a Gregorio VII editas memorat idem auctor capp. 17, 24, 25. et cap. 14 : « Nam et illi sedi nostro tempore talem Deus » gubernatorem, reverendæ, inquam, memoriæ Gregorium papam imposuit, » qui sub decem suis antecessoribus a puero Romæ nutritus et eruditus, » omnes apostolicas traditiones diligentissime investigavit et investigatas » studiosissime in actum referre curavit. » (P. L. t. CLI. p. 986).

(1) Quæ sequuntur N. 51-57 habentur apud ZACCARIA, *Bibl. Rit.* loc. cit. n. 3-11.

ranensi Basilica, usu receptum aliis in ecclesiis ævo suo, id est seculo duodecimo, scribit Petrus Abælardus in epistola Apologistica adversus sanctum Bernardum.... Abælardi verba sunt : « Antiquam Romanæ » Sedis consuetudinem nec ipsa Civitas (Romana) tenet; » sed sola Ecclesia Lateranensis, quæ Mater est omnium, antiquum tenet officium, nulla Filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam Romani » Palatii Basilica » (id est Cappella Pontificia).

52. » Breviarium porro istud quum male digestum esset, Haymo Franciscanorum Generalis Minister illud reformandum suscepit. Emendavit enimvero atque in meliorem formam redegit Gregorio Papa X probante, ut Wadingus ad an. 1244 narrat. Hoc postea Breviarium ab Haymone correctum Nicolaus III recipi jussit in omnibus Romanis ecclesiis. Docet id appellatus Radulphus his verbis : « Nicolaus Papa III [an. 1277-81]... » fecit in ecclesiis Urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia et alios libros officii antiquos quinquaginta, et mandavit ut de cetero ecclesiæ Urbis » uterentur libris et Breviariis fratrum Minorum... Et » forma notularum in cantu antiqua, qua tam Ambrosiani quam Alemaniæ nationes utuntur, cum pluribus aliis observationibus ecclesiasticis ab Urbe » relegata... » Hujus Breviarii [ab Haymone correcti] plures mss. codices exstant, editiones vero quam plurimæ.

53. » Verum aliam sub Clemente VII, eamque breviorem, formam officium induit a Cardinale Francisco

Quignonio concinnatum. Operis sui rationem Quignonius Paulo III, quo Pontifice illud an. 1536 Romæ vulgavit, præfatione hac sane luculenta reddit : « .... Breviarium Romanum nuper a nobis felic. record. » Clementis VII Pontif. Max. hortatu confectum, ac » potius in ampliorem sacrarum Scripturarum lectionem ad veterem Sanctorum Patrum et Conciliorum » antiquorum formam revocatum, tuaque voluntate, » Sanctissime Pater, editum, graves plerosque ac » doctos viros ita probasse et recepisse intellexi, ut nihil » in eo mutandum existimarent. Alios item animadverti » graves etiam et prudentes homines, qui ejus rationem » magnopere probantes, nonnihil tamen in eo desiderari » adfirmarent. Illud vero nunquam dubitavi, fore in » tanta multitudine nonnullos... quibus labor ille noster » non esset perinde gratus.... Immo vero nobis primam » editionem breviarii non tamquam promulgationem » legis esse placuerat, sed quasi publicam quamdam » deliberationem, ut sic, proposita nostra sententia, judicia multorum exquireremus, et quod omnium commodissimum et religioni ac pietati convenientissimum » plerisque prudentibus gravibusque viris esset visum » sequeremur... Itaque multorum sententiis collatis... » libenter quædam addidimus, alia mutavimus, et omnia diligenter recognovimus, retenta tamen summa » forma breviarii.... » [Inde ad rationem reddendam emendationis a se institutæ accedens, tres primo causas affert cur clerici ad officium divinum quotidie recitandum obligati sint. Quarum indicatur] « Tertia,

» ut religionis quoque futuri magistri quotidiana sacræ
» Scripturæ et ecclesiasticarum historiarum lectione
» erudiantur.... Et profecto, si quis modum precandi
» olim a majoribus traditum diligenter consideret,
» plane intelligat, horum omnium præcipuam ab ipsis
» habitam esse rationem. Sed factum est nescio quo
» pacto, precantium negligentia, ut paullatim a sanc-
» tissimis illis veterum patrum institutis discederetur.
» Nam libri Scripturæ sacræ, qui statis anni tempo-
» ribus legendi erant more majorum (ut est in mo-
» numentis Gelasii Papæ...) (1) vix dum incœpti
» omittuntur in alio breviario. Tum historiæ Sancto-
» rum quædam tam incultæ et tam sine delectu scriptæ
» habentur in eodem, ut nec auctoritatem habere vi-
» deantur nec gravitatem. Accedit tam perplexus ordo,
» tamque difficilis precandi ratio, ut interdum paulo
» minor opera in requirendo ponatur quam, quum
» inveneris, in legendo. Quibus rebus animadversis,
» felicis recordationis Clemens VII Pont. Max.... me
» hortatus est negotiumque dedit ut quantum cura et
» diligentia niti possem, preces horarias ita disponerem
» et ad veterem formam illam, quoad fieri posset,
» redigerem, ut difficultatibus dispendiisque sublatis,
» nec a summa rationis olim ab antiquis sanctisque
» patribus institutæ discederetur nec rursum clerici

(1) Putavit scilicet Quignonius cum aliis multis ea quæ in Gratiani Decr. Dist. 15. c. 3. § 82 habentur, pertinere ad decretum Gelasianum de libris legendis et non legendis, cui subnexa sunt. Illa autem lectionum partitio ab eruditis vulgo tribuitur Gregorio VII. ut dictum est supra N. 50 (p. 164).

» ab officio precandi deterrerentur laboris magnitu-
» dine. Quam ego provinciam libentissime suscepi....
» Adhibitis igitur quibusdam meorum domesticorum
» prudentibus hominibus ac sacrarum litterarum ac
» pontificii juris doctrina præditis, eisdemque græce
» et latine eruditis, dedi operam, quam maxime potui,
» ut commode ac ex utilitate publica rem conficerem.
» Ac illud ante omnia visum nobis est in consuetudi-
» nem revocare, ut Scriptura sacra maxime omnium
» toto anno et omnes psalmi singulis septimanis perle-
» gerentur. Utrumque enim veteribus patribus summa
» ratione placuisse videbamus.... Sed, ut supra dixi-
» mus, precantium negligentia factum erat, ut minima
» pars Scripturæ sacræ legeretur, et psalmorum ple-
» risque omissis, pauci singulis fere diebus repe-
» terentur. Quod eis accidit, cum officii ferialis...
» longitudinem et laborem refugerent : ad quem vitan-
» dum varia compendia excogitantes, consuetudinem
» induxerunt, omissis feriis, toto fere anno sanctorum
» festa celebrandi, etiam in quadragesima... Versicu-
» los, responsoria, et capitula omittere idcirco visum
» est, non quod hæc supervacanea aut inutilia viderен-
» tur..., sed quoniam quum introducta sint ad cantus
» potissimum modulandos et legentes sæpe morentur
» cum molestia quæritandi, locum relinqui voluimus
» continenti lectioni Scripturæ sacræ.... Et Sancto-
» rum historiis diligenter consideratis, quasdam dele-
» gimus, ex probatis auctoribus græcis et latinis fere
» decerptas, et has cultiore stylo, non tamen fucato,

« sed potius ex industria et jussu Clementis pontificis « adtemperato, disposuimus per annum totum... Ut « igitur quasdam Sanctorum historias retinuimus aut « reposuimus denuo conquisitas, sic quasdam omisi- « mus illis nec probabilitate nec gravitate pares, teme- « ritate videlicet privata quorumdam introductas, qui... « quasdam in breviario, præter publicam auctorita- « tem, inconsultis pontificibus, inserendas curaverunt, « quas pontifices ipsi haud dubie in usum ecclesiæ non « admisissent.... » — Acri censura Quignonianum breviarium notavit facultas theologica Parisiensis. Nihilominus complures illius editiones emissæ sunt, etiam in Gallia, ac denique etiam (an. 1552) cum approbatione illius facultatis (1).

54. « Sed tandem hanc Quignoniani breviarii formulam Pius V sustulit atque abrogavit, novamque ex Concilii Tridentini decreto conditam substituit et hoc diplomate præmisso vulgavit :

« Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam « rei memoriam. Quod a nobis postulat ratio pastoralis « officii, in eam curam incumbimus, ut omnes, quantum « Deo adjutore fieri poterit, sacri Concilii Tridentini de- « creta exequantur. Ac multo id etiam impensius facien- « dum intelligimus, quum ea quæ in mores inducenda « sunt, maxime Dei gloriam ac debitum ecclesiastica- « rum personarum officium complectuntur. Quo in ge- « nere existimamus imprimis numerandas esse sacras

(1) Breviarium Quignonianum a titulo cardinalitio auctoris sæpe *Breviarium Cardinalis S. Crucis* dici consuevit.

» preces, laudes et gratias Deo persolvendas, quæ Ro-
» mano breviario continentur. Quæ divini officii for-
» mula pie olim ac sapienter a summis pontificibus, præ-
» sertim Gelasio ac Gregorio primis constituta, a Gre-
» gorio autem septimo reformata, quum diuturnitate
» temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessa-
» ria visa res est, quæ ad pristinam orandi regulam con-
» formata revocaretur. Alii enim præclaram veteris
» breviarii constitutionem multis locis mutilatam, alii
» incertis et alienis quibusdam commutatam deforma-
» runt, plurimi, specie officii commodioris adlecti, ad
» brevitatem novi breviarii a Francisco Quignonio
» tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero cardinale
» compositi confugerunt. Quin etiam in provincias
» paulatim irrepserat prava illa consuetudo ut epis-
» copi in ecclesiis quæ ab initio communiter cum
» ceteris, veteri Romano more, horas canonicas di-
» cere ac psallere consuevissent, privatum sibi quis-
» que breviarium conficerent, et illam communionem,
» uni Deo, una et eadem formula, preces et laudes
» adhibendi, dissimillimo inter se ac pene cujusque
» episcopatus proprio officio discerperent.... Hanc
» nimirum orandi varietatem gravissime ferens fel. rec.
» Paulus Papa IV emendare constituerat. Itaque, pro-
» visione adhibita ne ulla in posterum novi breviarii
» licentia permitteretur, totam hanc rationem dicendi
» ac psallendi horas canonicas ad pristinum morem et
» institutum redigendam suscepit. Sed eo postea, non-
» dum iis quæ egregie inchoaverat perfectis, de vita

» decedente, quum a piæ mem. Pio Papa IV Tridenti-
» num Concilium, antea varie intermissum, revocatum
» esset, Patres in illa salutari reformatione, eodem
» Concilio constituta, breviarium ex ipsius Pauli Papæ
» ratione restituere cogitarunt. Itaque quidquid ab eo
» in sacro opere collectum elaboratumque fuerat, Con-
» cilii Patribus Tridentum a prædicto Pio Papa mis-
» sum est. Ubi cum doctis quibusdam et piis viris a
» Concilio datum esset negotium ut ad reliquam cogni-
» tionem breviarii quoque curam adjungerent, instante
» jam conclusione Concilii, tota res ad auctoritatem
» judiciumque Romani Pontificis ex decreto ejusdem
» Concilii (1) relata est : qui illis ipsis Patribus ad id
» munus delectis Romam vocatis nonnullisque in urbe
» idoneis viris ad eum numerum adjunctis, rem perfi-
» ciendam curavit. Verum eo etiam in viam universæ
» carnis ingresso, Nos... quum sacrum opus, adhibitis
» etiam ad illud aliis peritis viris maxime urgeremus,
» magna in nos Dei benignitate (sic enim accipimus)
» Romanum hoc breviarium vidimus absolutum. Cujus
» ratione dispositionis ab illis ipsis qui negotio præpo-
» siti fuerant non semel cognita, quum intelligeremus
» eos in rei confectione ab antiquis breviariis nobilium
» urbis ecclesiarum ac nostræ Vaticanæ Bibliothecæ
» non discessisse, gravesque præterea aliquot in eo ge-
» nere scriptores secutos esse, ac denique, remotis iis
» quæ aliena et incerta essent, de propria summa veteris

(1) In conclusione sessionis XXV, die 4 Decembris 1563.

» divini officii nihil omisisse, opus probavimus et Ro-
» mæ imprimi, impressumque divulgari jussimus. Ita-
» que ut divini hujus operis effectus reipsa consequatur,
» auctoritate præsentium tollimus imprimis et abole-
» mus breviarium novum a Francisco Cardinale præ-
» dicto editum et in quacumque ecclesia, monasterio,
» conventu, ordine, militia et loco, virorum et mulie-
» rum, etiam exempto, tam a primæva institutione
» quam aliter ab hac Sancta Sede permissum. Ac etiam
» abolemus quæcumque alia breviaria, vel antiquiora,
» vel quovis privilegio munita, vel ab episcopis in suis
» diœcesibus pervulgata, omnemque illorum usum de
» omnibus orbis ecclesiis, monasteriis, conventibus,
» militiis, ordinibus et locis, virorum et mulierum,
» etiam exemptis, in quibus alias officium divinum Ro-
» manæ Ecclesiæ ritu dici consuevit aut debet : illis
» tamen exceptis quæ ab ipsa prima institutione a Sede
» Apostolica approbata vel consuetudine quæ, vel ipsa
» institutio, ducentos annos antecedat, aliis certis bre-
» viariis usa fuisse constiterit : quibus ut inveteratum
» illud jus dicendi et psallendi suum officium non adi-
» mimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum quod modo
» pervulgatum est magis placeat, dummodo episcopus
» et universum Capitulum in eo consentiant, ut id in
» choro dicere et psallere possint permittimus... Omni
» itaque alio usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto,
» hoc nostrum Breviarium... in omnibus universi orbis
» ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis etiam exemp-
» tis, in quibus officium ex more et ritu dictæ Romanæ

» Ecclesiæ dici debet aut consuevit, salva prædicta in-
» stitutione vel consuetudine prædictos ducentos annos
» superante, præcipimus observari : Statuentes Bre-
» viarium ipsum nullo unquam tempore vel totum vel
» ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum vel
» omnino detrahendum esse... Datum Romæ apud
» Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ
» M. DLXVIII. »

55. » Pianum Breviarium sæpe recusum fuit... At quum nulla jam reperirentur Breviaria, quæ a prima editione S. Pii in multis non discreparent neque dissentirent et aliqua correctione non indigerent, Clemens VIII nonnullis piis et eruditis viris mandavit ut idem Breviarium nova adhibita diligentia accuratius inspicerent atque examinarent, et ea quæ depravata esse et recognitione indigere animadverterent, pro sua doctrina et pietate restituerent. Quæ verba ex ipsius Clementis diplomate, quod an. 1602 edidit, sunt a nobis deprompta. Quinam pii et eruditi illi viri fuerint, quos ad id operis Clemens delegit, Meratius (1) docet (T. II. pag. 17) (2). Nimirum Cæsar *Baronius,* Sylvius *Antonianus,* Robertus *Bellarminus,* S. R. E. Cardinales; Ludovicus *de Torres,* Archiepiscopus Montis Regalis, postea Cardinalis; Joannes *Bandinus,* Ca-

(1) Qui suas Observationes et Additiones ad GAVANTI *Thesaurum Sacrorum Rituum* primum edidit anno 1737. — Ceterum ipse Gavantus hæc nomina indicat in capite sui Commentarii in Rubricas Breviarii seu secundæ Partis Thesauri (Antverp. Plantin. 1646. 4).

(2) Seu in GAVANTI *Comm. in Rubr. Brev.* Sect. II. cap. 3.

nonicus S. Petri de Urbe, Secretarius; Michael *Ghislerius*, Congregationis Clericorum Regularium; Bartholomæus *Gavantus* Mediolanensis, Congreg. Cleric. Regular. S. Pauli (1).

56. » Urbanus VIII subinde ad reformandum Breviarium curas adjecit, adscitis ad id clarissimis viris, qui, ut Meratius tradit (2), fuerunt Aloysius *Cajetanus* S. R. E. Card. præses; Tegrimus *Tegrimius* Episcop. Assisiensis...; Fortunatus *Scacchus*...; Nicolaus *Riccardus*...; Hieronymus *Lannius*...; Hilarion *Rancatus*..; Jacobus *Vulponius*..; Bartholomæus *Gavantus*..; Terentius *Alciatus*...; Lucas *Wadingus* Ordinis Minorum Historicus... — Quid vero in nova hac Breviarii recognitione præstitum sit, ipse nos Urbanus docet in diplomate quod 25 Januarii an. 1631 dedit. « In eo, » inquit Pontifex, Hymni (paucis exceptis) qui non me- » tro, sed soluta oratione aut etiam rhythmo constant, » vel emendatioribus codicibus adhibitis vel aliqua » facta mutatione, ad carminis et latinitatis leges, ubi » fieri potuit, revocati : ubi vero non potuit, de inte- » gro conditi sunt, eadem tamen, quoad licuit, sen- » tentia servata. Restituta in Psalmis et Canticis » interpunctio editionis vulgatæ, et canentium commo- » ditati, ob quam eadem interpunctio mutata interdum

(1) Adverte hæc nomina eorumdem esse quos perperam indicavit Castellanus a Gregorio XIII delectos esse qui Martyrologii emendationi allaborarent (V. supra pag. 145 sqq.). Hic itaque probabilissime habetur fons confusionis a Castellano factæ.

(2) Ibid.

» fuerat, additis asteriscis consultum. Patrum Sermo-
» nes et Homiliæ collatæ cum pluribus impressis edi-
» tionibus et veteribus manuscriptis : ita multa suppleta,
» emendata atque correcta. Sanctorum historiæ ex
» priscis et probatis auctoribus recognitæ. Rubricæ,
» detractis nonnullis, quibusdam adjectis, clarius et
» commodius explicatæ. Denique omnia magno et longo
» labore diligenter accurateque ita disposita et expolita
» ut quod erat in votis ad optatum exitum perductum
» sit. » Atque hoc etiamnum Breviario utimur (1), Hinc innumeræ fere ad Romanum Urbani exemplum hujus operis editiones....

57. » Cardinalis Thomasius privatum ecclesiasticorum officiorum Breviarium reformandum proposuit, normamque simul reformationis hujus instituendæ tradidit singulari opusculo, quod habes T. VII ejus operum Vezzosianæ editionis p. 62 sqq. Novam Breviarii Romani recognitionem aggressus fuerat Benedictus XIV; immo ejus jussu doctissimus vir Fabius Danzetta quatuor non exigua eruditissimarum in Breviarium animadversionum volumina scripserat. Variis tamen de causis, iisque gravissimis, sapientissimus Pontifex ab incœpto destitit. »

(1) Quæ circa legendas Sanctorum quæ habentur in Breviarii Romani editione procurata a S. Pio V, emendata sunt a Clemente VIII, quæ vero in hujus Pontificis editione ab Urbano VIII, distincte indicata reperies ad calcem hujus voluminis (Append. **C**).

58. Jam ex compendiosa hac Breviarii Romani historia concluditur :

1° Quamquam in quibusdam ecclesiis antiquitus mos viguit passiones martyrum, suorum præcipue, publice coram cœtu fidelium prælegendi (1), attamen lectiones circa acta Sanctorum primævæ ætatis, quæ Breviario Romano insertæ sunt, non pertinere ad antiquam aliquam et peculiarem collectionem quæ traditionalis dici possit, sed seculo duodecimo vel decimo tertio (2), ut videtur, excerptas esse ex Actis quæ eo tempore vulgata erant (3). — Idque confirmatur ex eo quod Pontifices qui ex ordine Breviario emendando operam dederunt, Pius V scilicet, Clemens VIII et Urbanus VIII, dum in suis circa hanc rem Constitutionibus loquuntur de emendatione lectionum de Sanctis, non secundum antiquam et specialem collectionem, sed secundum *probatos auctores* eam emendationem institutam aiunt.

2° Errare eos qui lectiones de Sanctis Breviario (4) Romano insertas tamquam peculiares *traditiones Romanæ Ecclesiæ* exhibent.

(1) Cfr. supra N. 5 et N. 45 (pp. 115, 159).

(2) Quando scilicet introductum est Breviarium illud quod deinde a Franciscanis usurpatum et postea omnibus ecclesiis Urbis impositum est a Nicolao III.

(3) Baronius quidem harum lectionum recensionem ad seculum IX refert (V. infra p. 181). Sed hoc nimis gratuito videtur conclusisse ex verbis Hadriani I (citatis supra p. 116). Ex his verbis enim sequitur tantum secundum Hadrianum licitam fuisse lectionem passionum martyrum in ecclesiis, non autem hunc morem tunc observatum fuisse in Urbe, et multo minus easdem tunc passiones legi solitas esse quæ nunc leguntur in Breviario.

(4) Et idem dici potest quoad Martyrologium.

3° Unde perperam agunt scriptores recentiores qui ad Breviarium Romanum tamquam ad *fontem historicum* provocant.

4° Quod si auctoritas Breviarii Romani ex eo repetitur quod ab eruditis viris summa diligentia recognitum et emendatum est, hæc, ut patet, non est diversa ab ipsa illorum virorum auctoritate.

5° Quod autem spectat ad approbationem Ecclesiæ seu Summorum Pontificum : ***a.*** Ea quidem efficax argumentum præbet *ad legitimum demonstrandum cultum* Sanctorum quorum officium Breviario insertum est. Quum enim, secundum plerosque et certe præstantissimos theologos, Ecclesia seu Sancta Sedes infallibilis sit in canonizatione Sanctorum, et insertio officii alicujus Sancti in Breviarium æquivalenter saltem sit injunctio vel concessio positiva et specialis festum hujus Sancti publice celebrandi, negari non posse videtur ex illa insertione argumentum certe validissimum repeti ut ejusdem cultus legitimus seu sanctitas omnino certa demonstretur. — Verum ***b.*** ex nullo capite ostendi potest ex illa approbatione in se considerata quidquam haberi unde veritas singulorum quæ in illius Sancti lectionibus Breviario insertis referuntur, certior facta dicatur.

59. Unde denique hæc regula statuenda videtur : in historia scilicet critice tractanda, sicut (tum ex veneratione erga Ecclesiam quæ illis lectionibus in divino officio utitur, tum quia ex odio adversus eamdem hære-

tici et increduli longe æquo vehementius eas carpunt) catholicum scriptorem decet nonnisi modeste et ex gravibus argumentis illis positive contradicere, ita idem pietatis imprudentis et non secundum scientiam coarguendus est ubi antiquorum documentorum testimoniis vel aliis argumentis criticis validis circa historias Sanctorum opponit Breviarii Romani auctoritatem.

---

60. Juvabit et quorumdam eruditorum catholicorum præcipuæ auctoritatis in hac re nosse sententias. Itaque I. **Baronius** male omnino sentiebat de Breviario S. Pii V jussu emendato et ad usum universæ Ecclesiæ edito : quod apparet ex quadam illius epistola die 9 Aprilis 1588 scripta (1). — Quid autem ipse præstiterit ubi jussu Clementis VIII emendando Breviario operam dedit (2), indicat Gavantus, ejus laboris particeps (3), his verbis : « Quas nunc habemus secundas lectiones ex » historiis Sanctorum, eæ fuerunt a Cardinalibus Bel- » larmino et Baronio recognitæ, et approbatæ sub Cle- » mente VIII. Qui rejecerunt ea omnia quæ jure merito » revocari poterant in dubium. Qua in re perdifficili, » visum est illis ad historiæ veritatem bona fide resti-

(1) Ubi hæc leguntur : « .... Oltra che il Breviario Romano per disgratia » nostra è cosi cattivo che cento e quaranta errori ho notato nelle historie » che ivi si trattano » (Baronii *Epistolæ et Opuscula*. Romæ 1770. Tom. III. p. 26).

(2) Cfr. supra p. 174, N. 55.

(3) Cfr. ibid.

» tuere Sanctorum Lectiones, idque minima qua fieri » potuit mutatione; imo quæ controversa erant, alicu- » jus tamen gravis auctoris testimonio suffulta aliquam » haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo quo » erant, cum falsitatis argui non possint, quamvis for- » tasse altera sententia sit a pluribus recepta (1). »

61. Idem Baronius in Appendice ad decimum Annalium Tomum et inde in posterioribus editionibus ad an. 302. n. 103, mirantibus quibusdam post editum ipsius de lapsu Marcellini judicium relictas fuisse in Breviario Clementino ab eo quoad historias Sanctorum correcto, lectiones quibus ille Marcellini lapsus et Sinuessanum Concilium refertur, respondit his verbis : « Porro iis addere ista compellimur, quod post vulgata » ista nostra diligenter examinata a viris sane doctis, » eosdem scriptis suis vehementissime nos compellasse, » indigne ferentes Marcellini Papæ integritatem male » traduci commentitiis actis illis nullius ponderis exis- » tentibus, levissimisque argumentis (ut aiunt) nomen » Marcellini ab omnibus bene acceptum et magnæ exis- » timationis habitum infamari; asserentes acta illa non » nisi callide excogitatum figmentum fuisse Donatista-

(1) Gavant. *Commentar. in Rubric. Breviar.* (*Thes. S. R.* Part. II) sect. V. cap. 12. n. 16. — Quomodo autem ultima verba cum sententia immediate superiori concordent, equidem satis non video. Ceterum, quamvis adeo moderata fuerit Baronii et Bellarmini censura, non paucæ tamen earum emendationum quas proposuerant, non fuerunt admissæ, teste Laderchio, secundo Annalium Ecclesiasticorum continuatore, in opere quod inscripsit *Acta Sanctorum Martyrum vindicata* (Romæ 1723) Tom. II. p. 227 lib. VI. cap. 11.

» rum; idque validis sane argumentis probare conati,
» de Martyrologio atque Breviario Romano queruntur,
» quod ista in Ecclesia recitanda contineant. Sed sciant
» velim Romanam Ecclesiam antiquitatis tenacissi-
» mam, quæ ante octingentos annos ita publice lecta
» reperit (1), haud adeo facile convellenda, quamvis sibi
» valde molesta, putavisse. Ceterum eamdem Romanam
» Ecclesiam non sicut Evangelium (quod Gelasius mo-
» nuit) legere consuevisse vel legenda proponere quæli-
» bet Sanctorum acta, sed potius ea cuncta Apostolica
» illa lance libranda relinquere : Omnia probate, quod
» bonum est tenete. »

62. II. **Papebrochius** in *Conatu chronico-historico ad catalogum Pontificum* (2) : « Sed difficile fuit (ait) in
» tanta veterum historiarum et apocryphorum multitu-
» dine, Breviarium istud [Pii V jussu confectum] sic
» ordinare ut non multa perquam incerta irreperent ex
» male jam vulgatis receptisque opinationibus, quædam
» etiam successu temporis communi eruditorum con-
» sensu proclamarentur falsa. Quapropter variorum
» Pontificum cura in id incubuit, ut ea saltem tolle-
» rentur mutarenturve quæ maxime in oculos incurre-
» bant, reliquis tamdiu relictis eruditorum disputationi
» et examini, donec Apostolicæ Sedi videretur iterum
» mutare aliquid; sicuti in particularibus quibusdam
» casibus etiam hoc seculo nonnulla mutata scimus (3)...

(1) Cfr. supra pag. 177. not. 3.
(2) Ad calcem tractationis de S. Liberio (Propylæi Maii p. 52*).
(3) Jussu Clementis VIII scilicet et Urbani VIII.

» Nimia profecto simplicitate peccant qui scandalizantur, quoties audiunt aliquid ex jam olim creditis et » juxta Breviarii præscriptum hodiedum recitandis in » disputationem adduci. Id enim si male nunc fieret, » factum etiam male fuisset antehac in iis quæ postea » mutata expunctaque fuerunt; nec via patuisset ad » veritatem, stante irrefragabili quam tales Breviario » tribuunt auctoritate. Nec minus nimiæ morositatis » sunt arguendi, qui cum aliquid audiunt passim ab eruditioribus reprobari, indignantur id non statim auferri » de medio : nec enim animadvertunt, ad mutationes, » quantumcumque justas, non nisi lentissime procedere » Ecclesiam. » — Idem alio ejusdem lucubrationis loco (1) : « Dum.... subjungit quidam « de historiis quæ »» a Summis Pontificibus aut Sacra Rituum Congrega»» tione in divino Officio post ejusdem recognitionem »» proponuntur » quod « eo ipso tamquam canonizatæ »» habendæ » sint, maxime « si antiquæ fuerint, id est »» ultra centum annorum, » quodque « Nullus in Bre»» viario error modo reperitur, » hæc an et quatenus » vera sint, viderint ii qui asserunt. Non asseruisset id » sane Baronius, ex præcipuis Breviarii correctoribus » unus, quique omnes de veteribus Sanctis Pontificibus » lectiones ei, quam verosimiliorem arbitrabatur ipse» que instituerat, chronologiæ aptavit, licet de illius » validitate non valde certus, sicut in Sotere ostendit. » Quæ autem eo respectu mutavit, rursum erant in

(1) Ad calcem Dissertationis de quibusdam indulgentiis adnexæ tractationi de Sergio II (Tom. cit. p. 134* extr.).

» antiquum reducenda statum, si nostra ab illius di-
» versa chronologia recipiatur. Quod si in iis quæ
» proxime Ecclesiam Romanam spectabant potuerunt
» ex Baronii unius auctoritate errores qui antea non
» erant induci, quanto facilius potuerunt antiqui,
» necdum sufficienter convicti, remanere incorrecti...
» Quid autem? Numquid divini Officii partem non esse
» dicemus, æque ac Breviarium est, Romanum Mar-
» tyrologium, quale post Primam legendum in choro
» præscribitur? Numquid illud pro ea quæ aderat fa-
» cultate recognitum et correctum semel iterumque non
» est?... »

63. III. Quorumdam aliorum sententias recenset **Benedictus XIV** in Opere suo De Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione, lib. IV. Part. II. cap. XIII. nn. 7, 8. Ubi, postquam (n. 6) disseruerat de potestate episcoporum circa mutationes in Breviario faciendas, ita ait : « Porro an hæc sufficiant, aliorum judicium
» sit. Quod autem videtur asseri posse est, tutius esse
» ut etiam episcopi qui putant se post bullam Pii V
» posse aliquid addere vel immutare in Breviario aut
» novum Breviarium edere, prævium Sedis Apostolicæ
» judicium requirant, cum, experientia teste, in non-
» nulla Breviaria ab ipsis edita errores aliquando ir-
» repserint sanæ doctrinæ adversantes, non ipsorum
» fortasse, sed aliorum culpa, ita ut opus fuerit vel
» edita Breviaria prohibere vel eorum correctionem de-
» mandare. Post hæc autem ad Breviarium Romanum
» a S. Pio V aliisque Romanis Pontificibus correctum

» redeundo, sæpe citatus Grancolas cap. 15 repetit
» illud merito ceteris omnibus esse præferendum, et
» quædam subjicit quæ mutanda censeret, ut videlicet
» nonnullæ lectiones emendarentur, nimius festorum
» numerus minueretur, vel saltem eorum commemo-
» ratio sola præscriberetur in feriali Officio. An hæc
» autem vel alia facienda sint, examinandum erit, cum
» arduum negotium corrigendi et reformandi Brevia-
» rium Romanum assumetur. At loquendo de Bre-
» viario Romano, prout nunc est, memoratus Gavantus
» in opere supracitato sect. 5. cap. 12 de Lectionibus
» num. 16 exponens correctionem secundarum lectio-
» num Breviarii, in quibus Sanctorum historiæ refe-
» runtur, factam a Cardinalibus Baronio et Bellarmino
» tempore Clementis VIII, testatur eis perdifficile
» visum fuisse ad historiæ veritatem.... (1) Ex hac
» autem ingenua confessione nonnulli ansam arripue-
» runt acriter obloquendi Breviario Romano, item
» asserendi id fabulis esse repletum, ejusque auctori-
» tatem in factis historicis esse omnino spernendam;
» aliis contra adversus Ecclesiæ Romanæ sensum
» sustinentibus impium esse et quasi hæreticum de
» factis historicis in Breviario Romano relatis dubi-
» tare, et multo magis iis refragari. Apud Patrem
» Honoratum a Sancta Maria in animadv. ad regul.
» et us. Criticæ tom. 2. lib. 1. dissert. 2. § 3 nomina
» referuntur eorum qui male de Breviario Romano
» sentiunt.

(1) Et cetera citata supra p. 179, N. 60 extr.

» Sed quatenus per mediam viam, quæ tutior est, » incedendum sit, videtur quidem tuto pede asseri » posse, non modicum auctoritatis pondus factis histo- » ricis accedere, quæ relata sunt et approbata in Bre- » viario Romano (ecquis enim de hac assumptione » poterit dubitare, postquam certum est, Breviarium » Romanum pluries fuisse recognitum atque emenda- » tum, habito tot virorum pietate et doctrina illustrium » consilio?) (1), attamen ita ut vetitum existimari non » possit, debita cum modestia et gravi fundamento, » quæ occurrunt in factis historicis difficultates expo- » nere easque judicio Sedis Apostolicæ supponere, ut » eorum veritatem et robur perpendat, si quando ma- » nus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correc- » tionem : quæ ipsa videtur esse sententia plurimorum, » qui de historiis relatis in nonnullis lectionibus se- » cundi Nocturni Breviarii Romani dubitare visi sunt. » Non dubitarunt Bollandiani de sanctitate S. Venantii » Martyris, dubitarunt de sinceritate Actorum, ex qui- » bus secundæ lectiones Breviarii Romani desumptæ » sunt, uti videri potest in ipsorum annotatione critica » ad Acta prædicti Sancti, ad diem 18 Maii. Accusati » autem de irreverentia erga Romanum Breviarium » professi sunt, se utique debito obsequio venerari quæ » in citatis lectionibus continentur quæque approbata » fuerunt a sacrorum rituum Congregatione prævio

(1) Advertatur velim, totam rationem auctoritatis Romani Breviarii a Benedicto XIV reponi in auctoritate eorum qui illi emendando jussu Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII operam dederunt.

» maturo consilio, sed ipsis rerum origines perscrutan-
» tibus aditum præclusum non esse suarum dubitatio-
» num fundamenta recensendi. Professio nimirum ista
» typis impressa est post *Indicem moralem*, itemque
» refertur in *vindiciis Martyrologii ac Breviarii Ro-*
» *mani* auctore Francisco Dino pag. 123, et ejus etiam
» meminit Auctor dissertationis Italico sermone exa-
» ratæ et formis Beneventanis impressæ anno 1695
» de existentia corporis S. Bartholomæi Apostoli in
» urbe Beneventana pag. 75. Papebrochius in *respon-*
» *sione ad exhibitionem errorum* sibi oppositorum a
» Patre Sebastiano a S. Paulo edita Antverpiæ anno
» 1696, in responsione ad articulum quartum, num. 8
» et 9 conqueritur, sibi oppositum esse tamquam ali-
» quid hæresim sapiens, quod fuerit refragatus non-
» nullis factis particularibus in Breviario Romano
» relatis; in responsione autem ad articulum undeci-
» mum § 2, ad sui defensionem num. 17 et seqq., et
» rursus num. 28 et seqq., exemplum affert Emma-
» nuelis a Schelstrate bibliothecæ Vaticanæ Præfecti,
» qui in *Antiquitatibus illustratis* non omnino con-
» sensit iis quæ in Breviario referuntur de S. Dionysio
» Areopagita, necnon Cardinalis Vincentii Mariæ Ur-
» sini Ordinis Prædicatorum, tunc Archiepiscopi Be-
» neventani, deinde ad Summum Pontificatum evecti
» nomine Benedicti XIII, qui in *dissertatione de Reli-*
» *quiis S. Bartholomæi* edita etiam Romæ (1) anno 1724

(1) Post ejus evectionem ad Summum Pontificatum.

» in *appendice ad Concilium quintum Provinciale*
» *Beneventanum* adversatus est Translationi Reliquia-
» rum seu corporis S. Bartholomæi Apostoli a civitate
» Beneventana ad Urbem, oppositaque sibi auctoritate
» Breviarii Romani, art. 7 dissertationis ita respondet :
» *Maximæ quidem authoritatis esse Breviarium Ro-*
» *manum in iis quæ per sese ad cultum Ecclesias-*
» *ticum attinent; minoris tamen ponderis esse in*
» *privatis factis aut gestis quæ in vita Sanctorum ex*
» *occasione referuntur, ita ut efficax inde argumen-*
» *tum peti non possit, ubi præsertim antiquiora*
» *monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa,*
» *quæ iis utitur, inconcussæ infallibilisque veritatis*
» *judicat quæcumque Breviariis suis sunt inserta,*
» *cum multoties pro variis temporibus varia ex occa-*
» *sione ea mutaverit correxeritque.* Magna fuit con-
» troversia inter Gallonium Presbyterum Oratorii
» Romani et Constantinum Monachum Cassinatem de
» monachatu S. Gregorii; et Constantino eum asse-
» renti et comprobanti lectionibus Breviarii Romani,
» responsum est a Gallonio, Romanam Ecclesiam non
» omnia quæ in ejus Breviario sunt habere pro Di-
» vinis et Canonicis, sed lectiones dumtaxat desump-
» tas e sacra Scriptura, uti refertur a Grancolas in
» *Comment. histor. de Breviario Romano* cap. 5 in
» fine. Concordat Guido Grandus Cremonensis, Abbas
» Camaldulensis, vir omnium consensu doctus et eru-
» ditus, in *dissert. Camaldul.* 3. cap. 8. num. 5 et seqq.
» ubi ait, in triplici differentia esse ea quæ in ecclesias-

» ticis officiis proponuntur; cum alia deprompta sint ex
» libris sacrarum Scripturarum, et hæc exigant fidem
» divinæ auctoritatis; alia assumantur ex homiliis et
» sermonibus sanctorum Patrum, quibus, tamquam
» Ecclesiæ magistris, omnis reverentia debetur, minor
» tamen ea quæ est debita divino verbo in canonicis
» codicibus scripto; cetera e Sanctorum vitis et histo-
» riis in Breviarium deriventur, quæ humanam dum-
» taxat fidem per sese exigere possunt, et ita quidem
» ut, quamdiu gravis momenti ratio non urget, exci-
» pienda sint omnis obsequii significatione, iisque sine
» fundamento repugnare, temeritatis notæ sit obno-
» xium; cum fundamento vero, non item. Eodem modo
» loquitur Calmet in *Comment. Evang. dissert. in tres*
» *Marias* art. 3. pag. 370, ubi postquam admittere vi-
» sus est unam eamdemque feminam fuisse quæ varia
» munera præstitit erga Jesum..., postquam, inquam,
» id admittere visus est juxta sensum Breviarii Ro-
» mani, oppositæ ejus auctoritati adversus sententiam
» duas et tres feminas distinctas statuentem respondet,
» multum quidem esse deferendum auctoritati Officio-
» rum ecclesiasticorum et nefas esse ab eis recedere in
» iis quæ ipsum mysterii fundamentum constituunt,
» sed in eo quod attinet ad historias Sanctorum in iis
» Officiis relatas, nefas non esse, dubitationes magnis
» fundamentis innixas reverenter exponere, quæ cor-
» rectioni, quatenus opus sit, viam aperiant : *Quare*
» *non in examen revocari tantum earum veritatem*
» *patitur* (loquitur de Ecclesia), *sed laude etiam dignos*

» *censet qui rem illam aggrediantur; et, si forte secundo*
» *illorum labore aliquid deprehensum sit fictum et am-*
» *biguum, illa repudiare statim et supprimere a se*
» *alienum non arbitratur.* Addi posset lapsus S. Mar-
» cellini Papæ et Martyris a fide, qui commemoratur
» in quinta lectione Officii de eodem ad diem 26 Aprilis
» in Breviario Romano : hunc etenim plerique com-
» mentitium probant... (1) Quocirca Conradus Jannin-
» gus egregius continuator Bollandianus in *apolog. pro*
» *Actis Sanctorum* edita Antverpiæ anno 1695. pag. 12,
» ubi sermo est de factis historicis quæ aliquando occur-
» runt in lectionibus Officii approbatis a sacrorum ri-
» tuum Congregatione, subjicit : *Fateor ex ejusmodi*
» *approbatione historiis auctoritatem accedere, neque*
» *ullus id negaverit Catholicus : at vero accedere ta-*
» *lem, ut falsum subesse non possit historiis sub ap-*
» *probatione tali legi permissis, aut ut viri eruditi*
» *prohibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione*
» *bona nixi dissentire, ne ipsa quidem sacra Congre-*
» *gatio prætendit. Patitur enim de facto, quæstionem*
» *agitari de Sancto Dionysio Parisiensium Patrono,*
» *an scilicet idem sit (quod Breviarium Romanum*
» *manifeste asserit ad diem 9 Octobris) cum Areopa-*
» *gita, an vero diversus; item, an a Sancto Clemente*
» *seculo primo missus sit in Galliam, an tempore Decii*
» *seculo tertio. Patitur similiter de historia Sanctæ*
» *Marthæ ad 29 Julii relata disputari. Patitur etiam,*

(1) Summatim hic memorantur præcipua horum argumenta.

» *ut plura missa faciam, contra adventum Sancti Ja-*
» *cobi in Hispaniam ad* 25 *Julii a se assertum ratio-*
» *nibus pugnari.* Utitur nempe in prædictis verbis
» Janningus exemplo quæstionis de S. Dionysio... (1)
» Porro, ut magis roboretur assertio Janningi de vene-
» ratione utique habenda erga res quæ in lectionibus
» Breviarii Romani referuntur, at una tamen cum per-
» missione benigne indulta eruditis difficultates exci-
» tandi non leves super iis quæ in ipsis narrantur, etsi
» in lectionibus quæ recitantur die festo S. Clementis
» Papæ et Martyris habeatur, ejus corpus Romam
» translatum, Nicolao I Pontifice, in ecclesia ipsius
» S. Clementis conditum fuisse, de hac tamen re dis-
» putari impune permittitur, sicuti legi potest in opere
» Philippi Rondinini *de S. Clemente et ejus basilica*,
» Romæ edito anno 1706. Consimilia demum habentur
» in *confutatione dissertationis Michaelis Anastasii*
» mira, qua pollet, eruditione composita ab Advocato
» Nicoli et Placentiæ typis impressa an. 1733. p. 21 et
» sqq. ubi inter cetera notat, impune inter eruditos ad-
» huc disputari, utrum Constantinus Imperator fuerit
» Romæ baptizatus a S. Silvestro, ut habetur in lec-
» tionibus Breviarii Romani, an in exitu vitæ suæ
» baptismum receperit in quodam suburbio civitatis
» Nicomediensis anno 340, et ideo quatuor annis post
» obitum S. Silvestri, uti scriptum reliquit Eusebius
» Cæsariensis testis oculatus *de vita Constantini* lib. 4.

(1) Exponuntur hic breviter variæ de Dionysio sententiæ.

» cap. 61 et 62, et impune quoque inter eruditos disputari an veritati consentanea sint ea quæ referuntur in lectionibus Officii S. Catharinæ Virginis et Martyris, quæ multis rationibus impugnantur ab Hadriano Valesio in Posthumis pag. 48. » — Hactenus Benedictus XIV. Cujus doctrinæ optime consentire principia a nobis supra exposita facile constat.

---

64. Coronidis loco apponimus hic decretum SS. DD. Nostri **Pii IX** jussu recens editum occasione controversiæ circa SS. Domnum, Domnionem et Eusebiam, Bergomensis civitatis patronos secundarios. Quum scilicet in *Act. SS.* Tomo XII Octobris anno 1867 a Bollandianis sociis edito, ad diem 29 Octobris, quædam proposita essent quibus in dubium vocari videbatur illorum Sanctorum martyrium, veritus R. D. episcopus Bergomensis ne per eam opinionem scandalum fidelibus sibi commissis afferretur, qui eosdem Sanctos insigni devotionis et pietatis sensu honorare consueverunt, supplici dato libello Sacrorum Rituum Congregationem adiit, deprecans ut ipsa decerneret quid sentiendum esset de vi argumentorum adversus Bergomensis ecclesiæ traditionem allatorum. Porro Sacra Congregatio, re examinata, die 20 Augusti 1870 hanc edixit sententiam : « Argumenta allata adversus traditionem quæ respicit Sanctos Martyres de quibus agitur, nihil probant. » Quam sententiam SS. DD. confirmavit,

et nonnulla adjecit quæ jam ipsis decreti verbis subjungimus. Hæc scilicet illius est clausula :

« Facta autem de prædictis per infrascriptum Sacræ » ejusdem Congregationis Secretarium SS^mo Domino » Nostro Papæ Pio IX fideli relatione, Sanctitas Sua » sententiam Sacræ Congregationis ratam habere ac » confirmare dignata est. Mandavit insuper ut admo- » neantur omnes cultores studiorum Historiæ Eccle- » siasticæ et Sacræ Archeologiæ, *ut quandocumque* » *agitur de Sanctis vel Beatis, qui, approbante Sancta* » *Sede, sunt in possessione publici cultus Ecclesiastici,* » *caute se gerant ac præ oculis habeant regulas hac* » *de re traditas a Benedicto XIV in Litteris Aposto-* » *licis de nova Martyrologii Romani editione n.* 2 » *et* 18 : *De Servorum Dei Beatificatione et Canoni-* » *zatione Lib. IV. Part. II. Cap. XVII. n.* 9 *et* 10. » *Ibidem Lib. IV. Part. II. Cap. XIII. n.* 7 *et* 8, *ubi* » *agitur de Breviario Romano.* Die 1 Septembris anni » ejusdem (1). »

Animadvertisse sufficiat, in hac commendatione agi tantum de auctoritate Martyrologii et Breviarii Romani ad statuendam legitimitatem cultus quibusdam Sanctis tributi. Ceterum remittit ad doctrinam Benedicti XIV locis supra (2) recitatis. Unde rursus concludere licet nihil in eo decreto haberi cui non apprime concordent regulæ item supra traditæ.

(1) *Acta S. Sedis*, Tom. VI. p. 83.
(2) NN. 38, 37 et 63 (pp. 125, 124, 183).

ARTICULUS IV.

DE COLLECTIONIBUS ECCLESIASTICIS CIRCA SANCTOS APUD GRÆCOS ET CETEROS ORIENTALES.

65. I. De Menæis ac Menologiis et Synaxariis **Græcorum.** — *Menæa* seu mensualia (μην, mensis) opus constituunt in duodecim volumina distributum, quorum singula ad singulos anni menses pertinent. In his Sancti omnes, quorum memoria in ecclesia Græca colitur, ad proprios dies revocati recensentur, singulorum officium una cum rubricis, tropariis, lectionibus aliisque recitandis subnectitur, vita et res gestæ compendio descriptæ exhibentur. Indicantur et alia festa et res memorabiles in divino officio recolenda (1).

66. *Menologia* vero satis similia sunt martyrologiis Latinorum. In iis scilicet qualibet cujusvis mensis die Acta vel passiones Sanctorum summatim exponuntur, vel habetur brevis eorum commemoratio. Porro hæc menologia pro loco et tempore aucta et immutata varie sunt, sicut nostra martyrologia. Omnium antiquissimum est *Menologium Basilii* Imperatoris (2) studio et

(1) Editum est vastum hoc opus Venetiis an. 1596-1607 (de qua editione vid. *Act. SS.* tom. III Jun. p. 808) et iterum ac tertio ibidem ante med. sec. XVII. — Aliæ deinde editiones prodiere.

(2) Sive Macedonis sec. IX, sive potius, quum in eo indicentur Sancti hujus tempore posteriores, Basilii Junioris, qui imperium tenuit an. 975-1025.

jussu confectum (1). Aliud a Card. Sirleto latine versum edidit H. Canisius (2). Et recentius alia duo seculi X Scholz (3). —Quibus addi possunt Menologium græcum latino kalendario permixtum quod cum Chronographia Nicephori CPani vulgavit Ant. Contius (4), et *Ecclesiæ Græcæ martyrologium metricum e Menæis, codice Chiffletiano Actisque Sanctorum collectum*, quod concinnavit U. G. Siberus (5).

67. *Synaxaria* parum a Menologiis discrepant. Sunt enim vitæ Sanctorum et Martyrum in compendium redactæ et succincta expositio solemnitatum, de quibus in officio ecclesiastico agitur, ex Menæis prolixioribus in angustiores terminos contracta (6). In hoc igitur diversa sunt synaxaria a Menæis, quod, omissis ceteris partibus officii ad Sanctos spectantis, solas eorum synaxes seu festivitates indicent cum brevi uniuscujusque elogio (7). — Quidam præterea distinguunt *Anthologia*,

(1) Quod per partes primum, nec totum, editum ab Ughello tom. X *Italiæ Sacræ* et in *Act. SS.* ad calcem tomm. I Martii, Aprilis et Maii, deinde integrum græce et latine ex vetustissimo codice Vaticano prodiit Urbini an. 1727 tribus tomis fol.

(2) *Thesaur.* (Ed. Basnage) tom. III. part. I. p. 412.

(3) *De menologiis duorum Codd. Græcorum.* Bonnæ 1823.

(4) Paris. 1573. 4.

(5) Lipsiæ 1727. 4.

(6) Ita Synaxaria describunt Cangius in utroque suo Glossario; Fabricius *Bibl. Græc.* (Ed. Harles) tom. X. p. 140. not. et p. 147; Zaccaria *Bibl. Rit.* tom. I. lib. I. cap. IV. art. I. n. 19; et alii. Ceterum multiplici alia significatione hoc nomen *Synaxarii* usurpatum esse videtur, ut monet P. V. De Buck in dissertatiuncula de kalendariis Græcis et Orientalibus ap. De Backer, *Bibliothèque des écrivains de la Comp. de Jésus* (Edit. II.) tom. III. p. 383-386.

(7) Plura videsis apud Assemanum, *Kalendaria Ecclesiæ universæ*, tom. I. part. I. cap. 7. p. 76 sqq. Ubi fuse agit de Diptychis, Fastis, Kalendariis, Menologiis, Menæis et Ephemeridibus, eorumque apud Græcos discrimine.

quæ solemniora officia ex Menæis excerpta compendiose exhibent. Hujusmodi quoddam editum est ab Antonio Arcudio, a Clemente VIII approbatum (1).

68. Denique *kalendaria* Ecclesiæ Græcæ præcipue exhibent Morcelli (S. A.) *Kalendarium Ecclesiæ CPanæ* (2); Mazzochi (A. S.) *Commentarius in vetus marmoreum Neapolitanæ ecclesiæ kalendarium* (3) et Sabbatini (L.) *Il vetusto calendario napoletano* (4); Toscani (Th.) *Ad Typica Græcorum et præsertim ad typicum Cryptoferratense animadversiones* (5).

69. II. **Syrorum** Melchitarum seu catholicorum quinque habentur *kalendaria* : quorum tria edita sunt a Jos. et St. Assemani *Bibliothecæ Vaticanæ cod. mss.* tom. II. pp. 88, 114, 151 (6); duo alia vero apud Card. Ang. Maï *Scriptorum Veterum* tom. II. part. II. pp. 46, 169. Et præterea eximium *Martyrologium* recens editum ex codice anni 412 a G. Wright (7). — Jacobitarum vero seu monophysitarum quatuor *kalen-*

(1) Romæ 1598. fol. — Venet. 1712. fol.

(2) Romæ 1788. 2 vol. 4.

(3) Napoli 1744-55. 3 vol. 4.

(4) Neapoli 1744-68. 12 vol. 4.

(5) Romæ 1864. fol.

(6) Horum unum desumptum indicat P. V. De Buck (loc. cit.) e splendido *Evangeliario Hierosolymitano* quod nuper edidit Miniscalco (Veronæ 1861 et 1864) 2 vol. fol.

(7) *An ancient Syrian Martyrology* (in Periodico anglico *Journal of Sacred Literature*, Octobr. 1865 et etiam inde separatim editum). — Censet P. V. De Buck, in hac materia omnium nostra ætate facile exercitatissimus, documentum istud utilissimum esse ad dejiciendas tenebras quibus involvitur Hieronymianum Martyrologium (*Act. SS.* tom. XII Oct. p. 185).

daria edita apud Assemanios, tom. cit. codd. 37, 39, 68 (1).

70. III. Ecclesiæ Alexandrinæ **Coptitarum** seu Ægyptiorum item monophysitarum quatuor *kalendaria* edita sunt, duo scilicet a SELDENO, *De Synedriis,* alia apud MAÏ, *Scr. Vett.* tom. cit. pp. 14, 93 (2). — Et ab ecclesia illa monophysitica coptica derivata etiam, quod vix dubitari potest, habentur duo *kalendaria* **Æthiopum** seu Abyssinorum : quorum alterum vulgavit DILLMANN in catalogo codicum æthiopicorum Bibliothecæ Bodleiensis, p. 37; alterum, cum secundo e kalendariis copticis editis a Seldeno, LUDOLFUS in *Commentario ad Historiam Æthiopicam,* p. 389. Habemus præterea ejusdem ecclesiæ Synaxarium quod (non integrum tamen) æthiopice et italice edidit SAPETO (3).

(1) Tria alia kalendaria memorat P. V. De Buck (ap. De Backer, loc. cit.) a Mahumedanis quidem conscripta, sed ubi consignata sunt præcipua festa Syrorum Christianorum. — Idem recte monet nullius pretii esse *Calendarium Syrorum* præmissum Genebrardi commentariis in Psalmos, quippe quod nihil fere contineat præter festa mobilia. Nec multo majoris esse videtur kalendarium Hierosolymitanum quod reperitur in Waddingi Annalibus Minorum ad an. 1342 (Tom. VII. p. 277), ubi scilicet iudicantur ii Sancti quorum officium tamquam proprium illius ecclesiæ celebrabant Fratres Minores ibidem versantes.

(2) Horum secundum a St. Ev. Assemanio editum est ex alio codice ms. in Catalogo Codd. orient. Bibl. Mediceæ, p. 164.

(3) In *Viaggio e missione catholiche fra i Mensa, i Bogos,* etc. Roma 1857. — Nihil autem hic dictum est de monumentis hagiologicis Ecclesiæ Armeniacæ, quia inter edita nullum, ut videtur, antiquum est et primigenium (Cfr. De Buck, Diss. cit.). — De kalendariis et ceteris hujusmodi documentis orientalibus adhuc ineditis vid. ibid. Quoad græca, FABRICIUS, *Bibl. Græc.* (Ed. Harles) tom. X. p. 140. not. *w*

71. IV. His omnibus adjungi possunt monumenta hagiologica ecclesiæ **Ruthenicæ.** — *Kalendaria Ecclesiæ Slavicæ seu Græco-Moschæ* edidit Jos. Sim. Assemanus (1) nec ulterius processit in opere quod sub titulo *Kalendaria Ecclesiæ universæ* evulgare instituerat. — Antea autem edita fuerant *Ruthenorum Calendarium* ab Ant. Possevino (2) et *Menologium Ruthenicum* a Papebrochio (3).

(1) Romæ 1755. 6 vol. 4.

(2) *Apparatus Sacr.* t. II (ad v. *Rutheni*).

(3) *Act. SS.* tom. I Maii init. (Add. tom. VII. p. 519). — Alia videsis in Præfatione P. Martinow ad *Annum Ecclesiast. græco-Slavicum* (*Act. SS.* tom. XI Oct.).

CAPUT III.

DE DOCUMENTIS CIRCA HISTORIAM ROMANORUM PONTIFICUM (1).

—

1. Antiquissima circa historiam RR. PP. documenta continentur catalogis quibus successionis eorum series traditur, sive nuda, sive adjunctis notis temporis quo sedem apostolicam singuli occuparunt vel etiam indicatis quibusdam eorum decretis aut rebus gestis. — Ad hos antiquitate proxime accedit historia specialis RR. PP. ante medium seculum VI primum conscripta, deinde vero novis curis elaborata extremo seculo VII, ac tandem a diversis auctoribus ad extremum seculum IX perducta, quæ nota est sub titulo *Libri*

(1) Cfr. Henschenius et Papebrochius, *De antiquioribus Pontificum* (Romanorum) *Catalogis* (In propylæo Maii). — Schelstraete (Emm.) *De antiquis Romanorum Pontificum Catalogis, ex quibus Liber Pontificalis concinnatus fuit* (P. L. t. CXXVII. p. 157. Add. ibid. pp. 219, 235). — Bianchini (Fr.) *Præfatio ad vitas RR. PP. Anastasio Bibliothecario attributas* (ibid. p. 33). — Ciampini (J.) *Examen Libri Pontificalis*. Romæ 1683. 4. (et ap. Muratori, *Script. Rer. Ital.* t. III. part. I. p. 33). — *Origines de l'Eglise Romaine*, par les membres de la Congrégation de Solesmes. Paris 1836. 4. — Giesebrecht (W.) *Ueber die Quellen der früheren Papstgeschichte* (in Periodico *Allgemeine Monatschrift*. Halle. April. 1852). — Lipsius (R. A.) *Chronologie der Römischen Bischöfe bis zur Mitte des vierten Jahrhunderts*. Kiel 1869. 8.

Pontificalis. — Denique recentiorum seculo IX Pontificum historias, sive singulorum sive multorum simul, exhibent varii generis lucubrationes, circa hoc argumentum vel speciatim vel in tractanda historia magis generali versantes.

Jam de singulis his tribus documentorum generibus.

ARTICULUS I.

DE ANTIQUIS CATALOGIS ROMANORUM PONTIFICUM.

§ 1. De catalogis græcis et aliis orientalibus.

2. Septem habemus catalogos græcos. Quorum antiquissimus reperitur apud Irenæum (1), at in eo vix quidquam traditur præter nomina et ordinem successionis duodecim primorum Pontificum. Quod autem spectat ad ejus auctoritatem, adverti potest Irenæum, præterquam quod eruditione conspicuus fuit, facile circa hæc nosse potuisse monumenta et traditionem Romanæ Ecclesiæ dum Romæ versatus est tempore Eleutherii S. P. (an. 177-190?), ad quem adhuc presbyter epistolam detulit confessorum Lugdunensium (2).

3. Secundam, quæ supersit, recensionem RR. PP. nobis reliquit Eusebius, tum in Chronico, tum in His-

(1) *Adv. Hær.* III. 3. — Ceterum catalogos græcos et orientales, qui hic citantur (latine redditos), et latinos antiquiores, exscriptos exhibemus ad calcem hujus voluminis (Append. **D**).

(2) Euseb. *H. E.* V. 4.

toria Ecclesiastica, non quidem per modum catalogi, sed variis locis, occurrente scilicet in serie narrationis tempore quo singuli ad pontificalem dignitatem evecti sunt. Sed neque eadem ratione istam recensionem tradit in utroque opere et, quod præcipuum est, in nonnullis, præsertim quoad tempora unicuique Pontifici assignata, discrepat a catalogis romanis de quibus mox sermo erit. Ceterum id non ita difficile videtur explicari posse. Nam Eusebius non ex romanis, sed ex orientalibus monumentis et probabilissime ex diptychis et archivis ecclesiarum orientalium nomina et seriem Romanorum Pontificum ac tempus quo unusquisque eorum ad Romanam cathedram evectus est, hausit. Jam vero quum epistolæ quibus nuntiabatur ecclesiis Pontificis alicujus obitus et electio successoris ejus, præsertim dum persecutiones desævirent, non ita cito ad remotiores pervenire possent, pronum est conjicere non paucos errores in diptycha orientalium ecclesiarum, præsertim circa tempus initii et finis cujusque pontificatus, irrepsisse. — Ex alia parte vero recolendum est Eusebium in sua Historia Ecclesiastica conscribenda præ oculis habuisse opus historicum Hegesippi, qui circa medium seculum II peculiari cura in id incubuit ut episcoporum successiones per singulas præcipuas ecclesias colligeret, et in hunc scopum eas, et speciatim Romanam, ipse invisit (1).

(1) « Scribit enim [Hegesippus] se, cum Romam proficisceretur, pluri-» mos episcopos adiisse et ab omnibus unam eamdemque audivisse doc-» trinam. Item, postquam de Clementis ad Corinthios epistola quædam

4. Hos ordine temporis sequuntur quatuor alii catalogi græci, Epiphanii, Georgii Syncelli, Nicephori CPani et auctoris Chronographiæ syntomi ad annum 853 pertingentis. Præterea tres alii orientales, in Chronico Syriaco seculi VII vel VIII (1), apud Eutychium Alexandrinum (2) et apud Eliam Nisibensem (3). Quibus addi potest recensio quatuor primorum Pontificum in chronico Bar-Hebræi (4). — Unde autem illi catalogi hausti sint, satis definiri non potest. Itaque, quoad nos, habendi sunt loco testium factis quæ referunt longe posteriorum (5), ignotis testibus intermediis. Attamen rursus advertatur : ***a.*** Ea quæ in his documentis exhibentur, ad illud genus factorum pertinere quod vix phantasiæ popularis fictionibus obnoxium supponi potest. ***b.*** Illos catalogos non posse supponi omnes ex uno fonte promanasse, sed apud dissitos in-

» commemoravit, hæc addit... : Et Corinthiorum quidem, inquit, Ecclesia » in recta fide permansit usque ad Primum ejusdem loci episcopum : quo- » cum familiariter collocutus sum, dum Romam navigarem; nec paucos » dies versatus sum cum Corinthiis, mutuamque ex recta fide consolationem » cepimus. Romam vero cum venissem, mansi ibi apud Anicetum, cujus tum » diaconus erat Eleutherus. Post obitum deinde Aniceti successit Soter, » quem excepit Eleutherus. In singulis episcoporum successionibus et per » singulas urbes eadem manent, quæ per legem ac Prophetas et a Domino » ipso prædicata sunt. » Euseb. *H. E.* IV. 22.

(1) Usque ad annum 636 perducto et per seriem califorum usque ad annum 724 porrectam terminato.

(2) Qui scripsit anno 937.

(3) In chronico suo syriace et arabice conscripto seculo XI.

(4) Hos omnes catalogos descriptos reperies ad calcem hujus voluminis (Append. **D**).

(5) Quod pertinet scilicet ad Pontifices trium priorum seculorum, ad quorum successionem et singulorum pontificatus durationem definiendam illi catalogi præcipue adhibentur.

vicem et admodum diversos scriptores reperiri : unde, ubi concordant, argumentum illud magni momenti ex ea concordia conficitur quod ex traditionum nullo modo connexarum congruentia exsurgere solet.

§ 2. De Catalogo Liberiano et utroque documento hagiologico illi adnexo.

5. Inter catalogos latinos antiquissimus et celeberrimus est catalogus *seculi IV* seu *Liberianus* vel etiam *Buchcrianus* dictus. Hoc posterius nomen sortitus est ab Ægidio Bucherio S. J. Is anno 1634 in Appendice ad Commentarium suum in Cyclum Paschalem Victorii Aquitani, edidit quinque opuscula chronologica quæ in eodem codice ms. a quodam Furio Dionysio Filocalo descripta reperierat. Quorum primum recenset Fastos consulares ab Antonino II et Geta usque ad Constantium Augustum VII et Constantium Cæsarem VI (an. 354). Secundum refert seriem Præfectorum Urbis a Lolliano qui præfecturam tenebat Coss. Valeriano II et Gallieno (an. 254) usque ad Vitruvium Orfitum Coss. utroque Constantio, ut in præcedenti opusculo. Tertium est antiquum kalendarium ecclesiasticum ubi notantur dies festi quorumdam martyrum in cœmeteriis romanis quiescentium et Romanorum Pontificum a Lucio (an. 253) ad Julium prædecessorem Liberii (ob. an. 352). Quartum complectitur Catalogum nostrum RR. PP. a S. Petro ad Liberium, quem ad pontificatum evectum memorat Coss. Constantio Aug. V. et Constantio Cæ-

sare, ibique sistit, nihil referens de ejus obitu (qui contigit an. 366). Quintum denique est antiquum kalendarium civile ubi notantur dies natales præcipuorum imperatorum, quorum rursus novissimus indicatur Constantius : is tamen non *Divus* (quod nomen tribuebatur imperatoribus defunctis), sed *Dominus* (quo titulo designabantur dum in vivis agebant) appellatur. — Ex his omnibus jure concluserunt unanimi consensu eruditi hæc opuscula conscripta esse ante an. 361 (quo obiit Constantius), et probabilissime an 354 (1).

6. Multum disputatum est circa auctorem vel auctores Catalogi Liberiani (2). Post Mommsen (3), cui suffragatur de Rossi (4), sententia nunc universim recepta primam partem (a Petro ad Urbanum) excerptam arbitratur ex Chronico deperdito Hippolyti (5);

(1) Duo tantum habentur codices mss. tabularum Filocalianarum, alter *Bruxellensis* 7542-7548 ab Heriberto Rosweydo ex antiquiori (sec. VIII vel IX) nunc deperdito descriptus, alter *Vindobonensis* 3416 (chart. sec. XV exeuntis) qui ex diverso a priori exemplari videtur exscriptus (non paucæ enim varietates inter utrumque codicem reperiuntur). Habetur præterea breve fragmentum kalendarii civilis (mens. decembr.) et fragmentum item fastorum consularium ab exordio consulatus usque ad an. Chr. 264 in codice *Bernensi* (mutilo) n. 108 sec. IX. Ex quibus accuratam editionem omnium opusculorum Filocalianorum instituit Th. Mommsen, præmissa luculenta dissertatione *Ueber den Chronographen vom Jahre* 354, inter tractationes Academiæ regiæ Saxonicæ, et inde separatim (Leipzig 1850). — De editionibus præcedentibus satis accurate etiam egerunt Solesmenses (*Origines de l'Eglise Romaine*, Chap. IV. — Inde P. L. t. XIII. p. 442-446), et easdem e conspectu exhibuerunt (*Origines*, p. 100 sqq. — Inde P. L. tom. cit. p. 447 sqq.).

(2) Cfr. *Origines*, cap. cit. — Schelstraete, cap. III.

(3) Diss. cit. p. 586-596.

(4) *Roma Sotterranea*, tom. I. p. 117.

(5) Argumentationis Mommsen summa ad hoc reducitur, quod inter opuscula cum Catalogo nostro a Filocalo descripta reperitur *Chronicon* quod

secundam autem (a Pontiano ad Lucium) adjectam esse Chronico Hippolyti a scriptore his Pontificibus coævo; tertiam denique (a Stephano ad Marcum) tribuendam esse scriptori qui vivente Marco (an. 336) catalogum nostrum confecit; cui subjunctus est Julius cum exordio Liberii ab illo qui sub hoc ultimo Pontifice eum cum aliis opusculis ei adnexis descripsit. Itaque quartum hunc totius catalogi auctorem habemus, tres reliquos vero tamquam fontes quibus hic usus est. Jam de singulis partibus paulo distinctius.

7. I. In prima parte, qualem nunc exhibent codices mss. (1), desiderantur nomina Aniceti, Eleutherii et Zephyrini. Attamen id culpæ librariorum, non autem scriptoris seculi IV, tribuendum esse satis constat ex collatione nominum imperatorum et consulum, per quos duratio præcedentium et sequentium pontificatuum indicatur, cum Chronico imperatorum et fastis consularibus quæ in aliis documentis Filocalianis ha-

ita rebus et singulis sententiis simile est alteri Chronico latino (quod ex Gallandio, cum hujus prolegomenis edidit Migne P. L. t. III. p. 651), verbis autem discrepans, ut manifeste hic habeamus duas versiones ejusdem textus græci : quod et confirmant voces et modi loquendi græcum idioma manifeste sapientes. Jam vero alterum horum Chronicorum indicatur in ipso textu confectum esse anno decimo tertio Imperii Alexandri (an. 234 vel 235). Quum itaque inter opera Hippolyti, qui hoc tempore vivebat, notatum reperiatur *Chronicon ad Græcos,* sponte concluditur hoc ipsum textum originalem esse utriusque versionis nostræ. Porro in eo Chronico habebantur « Nomina Episcoporum Romæ, et quis quot annis præfuit : » quæ inscriptio omnino convenit primæ parti Catalogi Liberiani.

(1) Cfr. pag. præc. not. 1.

bentur, eorumdemque fastorum ope facile restitui possunt (1).

8. Gravior quæstio oritur ex eo quod in Chronico Hippolyti seu ineuntis seculi III, quo usus est auctor noster, consignata essent solummodo « Nomina Episcoporum Romæ, et quis quot annis præfuit (2), » in Catalogo Liberiano autem indicatur præterea quibus Imperatoribus sederint et quibus Consulibus sede sua potiti sint et decesserint singuli Pontifices, ac præter numerum annorum etiam numeri mensium et dierum his annis adjiciendorum. Inquirendum itaque est utrum hæc ex aliis documentis auctor acceperit.

9. Et quidem, quod ad nomina imperatorum et consulum pertinet, facile, ut recte advertit Mommsen (3), constat ea desumpta esse ex fastis consularibus et chronico imperatorum quæ præ manibus habebat et cum ipso suo catalogo Pontificum edidit auctor seculi IV. Etenim non solum cum his fastis apprime concordant, sed et ita ut uniuscujusque pontificatus exordium notetur per consules illius anni qui immediate consequitur annum quo obiisse indicatur Pontifex præcedens. Jam vero, si auctor noster usus esset documento ubi exordium et finis singulorum pontificatuum per nomina consulum indicata fuissent, regu-

(1) Et simili argumento pro annis XX Pio tributis legend[illegible]s esse XV, sicut passim habetur in catalogis græcis, manifeste apparet.

(2) Cfr. pag. præc. not. 5 extr.

(3) Diss. cit. p. 583-584.

lariter, ut patet, iidem consules assignarentur pro uniuscujusque fine et sequentis exordio, quum his temporibus præsertim mox post alicujus episcopi obitum successor ejus eligeretur. Itaque probabilissimum videtur auctorem Catalogi Liberiani, quum primum annum pontificatus Petri æræ nostræ 29 statuisset et coram se haberet ex una parte seriem Pontificum et « quis quot annis præfuit, » ex alia vero fastos consulares et chronicon imperatorum, suo marte computasse in quosnam imperatores et consules inciderent uniuscujusque exordium et decessus.

10. Id et ex alio indicio confirmari potest. Etenim, etiamsi soli anni computentur singulis Pontificibus in Catalogo nostro attributi, omissis etiam qui adjecti sunt mensibus et diebus (1), summa conficitur annorum 207, quum inter annum 29 et 230 (quo ex documentis certis statuendus et ab ipso auctore statutus est finis pontificatus Urbani) tantummodo anni 201 effluxerint. Quod non latuit auctorem nostrum. Itaque, ne excessus in termino appareret, illum totum quasi refudit in pontificatum Pii, cujus exordium assignavit anno 146, quum jam finem pontificatus Hygini anno 149 (Aniceti vero anno 153) tribuisset. Præterea in tribus Pontificibus Pium præcedentibus habetur maxima confusio et errores manifesti circa synchronismum imperatorum. Quum scilicet compertum sit Ha-

(1) Ac præterea emendato numero annorum in Pio (Cfr. pag. præc. not. 1).

drianum imperasse anno 118-138, Antoninum Pium 138-161, Marcum Aurelium (qui etiam cognomine Antoninus dicebatur) cum Lucio Vero an. 161-169 et deinde solum usque ad an. 180, ab auctore nostro indicantur Telesphorus an. 127-137 sedisse *temporibus Antonini Macrini* [Marci Aurelii], Hyginus an. 138-149 *temporibus Veri* [et Marci Aurelii] et Anicetus an. 150-153 iisdem imperatoribus. — Hinc itaque confirmatur conclusio supra posita. Ac proinde ex indicatione consulum hoc tantum commodi nobis habetur quod numeri annorum, quos in veteribus documentis librarii pervertere et corrumpere fere solent, inde nobis quales ab auctore Catalogi Liberiani sunt scripti, certi sunt vel (ut in Pio) facile emendari possunt.

11. Iisdem argumentis, et e secundo etiam a fortiori, concludere licet in fonte præcipuo hujus primæ partis seu in Chronico Hippolyti non fuisse repertos numeros mensium et dierum annis integris adjectorum. Hinc enim rursus habetur summa amplius 6 annorum et proinde augetur excessus. Sed et speciatim adverti potest numerum annorum, mensium et dierum qui Lino assignati sunt in catalogo nostro cum numero item annorum, mensium et dierum Clementi tributorum, summam conficere annorum amplius 22, quum ab exordio pontificatus Lini ad finem Clementis 21 tantum anni ab auctore nostro computentur. Et similis contradictio inter duplicem illam computationem in aliis quibusdam facile manifestari potest. — At qua ratione auctor Catalogi Liberiani, vel alius quidam quem secutus sit, nume-

ros illos mensium et dierum definierit, neque conjectura satis assequi licet (1).

12. Neque hic habetur difficultatum finis. Præterquam enim quod Pius Aniceto postpositus et tamquam immediatus Soteris prædecessor indicatus est, quum ex documentis certis Anicetus inter Pium et Soterem sedisse probetur : præterea auctor noster (aut fons quem adhibuit) perperam, ut patet, exordium pontificatus *Romani* Petri anno æræ nostræ 29, ejusdemque apostoli martyrium anno 55 assignavit, quæ secundum accuratiorem chronologiam annis 42 et 67 tribuenda sunt. Itaque ab exordio Pontificatus Petri ad finem Urbani non 207, sed solum 188 vel 189 computari possunt. Ac proinde vel ipse Hippolytus in Chronico suo, vel scriptor versionis latinæ qua auctor noster usus est, vel denique ipse hic auctor perperam eam versionem legendo, nimium multos annos quibusdam Pontificibus in hac prima parte Catalogi consignatis attribuit (2).

(1) Equidem in duobus primis successoribus Petri videtur illa ratio aliquatenus definiri posse. Quum enim Petrus passus legatur 29 Junii, Lini vero memoria assignata sit in quibusdam antiquis martyrologiis (speciatim in parvo Romano) ad diem 26 Novembris, ac proinde inter utriusque diem obitualem habeantur menses 4 cum diebus 27 vel 28, si præterea supponatur vacatio sedis Pontificalis inter utrumque dierum circiter 15, jam explicatur numerus mensium IV dierum XII qui præter numerum annorum legitur in Lino. Idemque valet quoad numerum mensium XI dierum XII in Clemente, cujus scilicet obitualis dies antiquitus jam existimaretur 17-26 Novembris, supposita rursus vacatione dierum circiter 15 inter Linum et Clementem. — Verum ea ratio jam non apparet observata in sequentibus Pontificibus.

(2) Qui error num et qua ratione emendari possit, in dissertatione de chronotaxi Pontificum Romanorum hujus primæ ætatis inquirendum erit.

13. Itaque, ut summatim concludamus, auctor Catalogi Liberiani in hac prima parte tamquam fontibus usus est ***a.*** Hippolyti Chronico, ubi reperit « nomina episcoporum Romæ et quis quot annis præfuit, » ita nimirum (quod facile conjicere licet) ut hic numerus annorum integer unicuique pontificatui assignaretur, dempta minori illa anni parte quæ re ipsa hunc numerum excederet vel ei deesset, omissa etiam indicatione durationis vacationum seu interstitiorum inter diversos pontificatus. Hoc documentum autem ex monumentis publicis ecclesiasticis excerptum esse, nonnisi per conjecturam (probabilem quidem) statui potest. Sed et illud vel non recte conceptum nactus vel prave interpretatus auctor Catalogi Liberiani, non unum errorem in hac suæ lucubrationis parte admisit. ***b.*** Fastis consularibus et chronico imperatorum quæ vel ipse ex documentis ignotis confecit, vel ab alio confecta reperit. — Alios autem fontes ab eo adhibitos prorsus ignoramus.

14. II. De aliis catalogi Liberiani partibus. — In secunda parte (a Pontiano ad Lucium inclusive) alio fonte nobis ignoto usus est auctor, sed rursus ipse addidisse videtur designationes consulum qui primo et ultimo annis uniuscujusque pontificatus fuisse leguntur (1).

15. III. Ab ipso etiam totius catalogi auctore conscripta putaverim quæ in eo traduntur de Stephano et

(1) Quod posterius eodem fere argumentorum genere probatur quæ allata sunt quoad primam partem.

exordio Xysti II. Inde autem a tempore hujus Pontificis jam accuratior notitia servata est exordii et termini singulorum pontificatuum, et etiam vacationum seu interstitiorum. Hæc in archivo Ecclesiæ Romanæ sive ab auctore totius catalogi sive ab auctoribus singularum partium reperta esse, credibile est. Non improbabiliter etiam, quidquid dicat Lipsius (1), opinatur de Rossi documenta publica civilia ab eo adhibita esse; unde et augetur catalogi quoad hanc posteriorem partem auctoritas. — Jam ut appareat probabilitas hujus opinionis, accuratius examinandum est duplex documentum hagiologicum in iisdem codicibus cum catalogo Liberiano repertum, quodque *Depositio Episcoporum* et *Depositio Martyrum* inscriptum est (2).

---

16. In priori indice reperiuntur nomina omnium Pontificum qui ab anno 254 usque ad annum 354 Romanam sedem tenuerunt, præterquam Xysti II et Marcelli. Et Marcelli quidem nomen per incuriam librariorum excidisse admodum credibile est et probabiliter potest restitui (3). Xysti autem habetur in indice Martyrum ad VIII id. Aug. In quo indice signantur et Callistus (prid. id. Octob.), Pontianus (id. Aug.) ac Fabianus (XIII kl. Febr.); non tamen Urbanus, Anterus et Cornelius. Jam inquirendum venit : 1° quæ sit utriusque

(1) *Chronologie der Röm. Bisch.*, etc. p. 44.

(2) Utrumque exscribemus ad calcem catalogi Liberiani in App. **D.**

(3) Vid. loc. ind. notam appositam a Mommsen ad nomen *Marcellini.*

documenti natura; 2° quando conscripta sint; 3° quænam rationes assignari possint earum quas notavimus omissionum; 4° cur in priori non ultra 254, in posteriori vero non ultra Callistum ascenderit scriptor.

17. Quod ad primam et secundam quæstionem spectat, imprimis statuit de Rossi (1) posteriori indice, qui inscribitur *Depositio martyrum*, non exhiberi martyrologium seu catalogum martyrum Romanorum, quum in illo ***a.*** indicentur festivitas Nativitatis Domini (VIII kl. Jan.) et Cathedræ S. Petri (VIII kl. Mart.); ***b.*** omissi sint multi martyres Romani indubii; ***c.*** habeantur quidam martyres non Romani, ut Perpetua et Felicitas (Non. Mart.) et Cyprianus (XVIII kl. Octob.). Sed omnino existimat illud esse kalendarium quoddam ecclesiasticum *majorum festorum non mobilium*, quod merito dici potest *eortologium* seu *feriale* Romanum sec. IV, idque conscriptum fuisse Miltiade S. P. seu anno circiter 312, ubi primum pax Ecclesiæ reddita est (forte ad supplendam jacturam documentorum ecclesiasticorum publicorum quæ per sævam Diocletiani persecutionem sublata et deleta fuerant). — In priori vero indice notandum nomina Pontificum disposita esse non secundum ordinem successionis, sed secundum ordinem dierum quibus eorum depositionis seu obitus vel sepulturæ memoria in decursu anni occurrit : præter nomina Marci et Julii, quæ non diebus in eo ordine iis debitis, sed extra ordinem in fine indicis adjecta

(1) *Roma Sotterranea* t. I. p. 116 et t. II. p. v-x.

sunt (1). Unde recte concludi potest illum indicem primum conscriptum fuisse post Silvestri et ante Marci obitum, ac proinde anno 336, sive mandato Pontificis, sive per privatam industriam, idque, ut arbitratur Rossi, ad servandam exactam memoriam diei obitus eorum Pontificum qui in *eortologio* non erant indicati (2).

18. Jam (quod ad tertiam quæstionem spectat) ex hac ultima conjectura facile explicatur cur in *Depositione Episcoporum* omissus sit Xystus II (3). At non ita obvia ratio est omissionis omnium Pontificum Romanorum in *Depositione Martyrum*, præter Callistum, Pontianum, Fabianum et Xystum II. Inde quidem collegerunt nonnulli, præsertim protestantes, hos solos inter Romanos Pontifices trium priorum seculorum martyrio obiisse. Sed huic conclusioni obstat (præter auctoritatem Libri Pontificalis) quod Telesphori *illustre martyrium* testatur Irenæus (4), Cornelius *beatus martyr* et Lucius *beatissimus martyr* vocantur a Cypriano (5), Stephanum item tamquam martyrem celebrant martyrologia Hieronymiana et antiquissimi libri liturgici romani, Felicem I eodem titulo ornant Concilium Ephesinum, Cyrillus Alexandrinus et Vincentius Liri-

(1) In codice Vindobonensi scilicet : nam in Bruxellensi Marci nomen nomini Eutychiani recte præponitur. Sed timeri potest ne hæc sit emendatio Rosweydi, qui sec. XVI illum codicem ex antiquiori descripsit.

(2) Nomina autem Marci et Julii adjecta deinde fuerint ab illo qui documenta Filocaliana sub Liberio collegit.

(3) De quo scilicet in *Depos. mart.* ad *VIII id. Aug.*

(4) *Adv. Hær.* III. 3. 3.

(5) Epist. 61, 67.

nensis. Unde Bollandianus scriptor (1) auctoritatem indicum Filocalianorum spernendam hic duxit, utpote scriptoris privati et ignoti. Quod tamen merito improbant alii et speciatim de Rossi : nam et utrumque documentum forte ecclesiasticum publicum est, et certe illorum auctoritas saltem ob antiquitatem scriptoris non ita facile potest contemni. Alii igitur probabilius ita difficultatem arbitrantur solvendam, ut ex Pontificibus seculi III soli quatuor illi et proprie dicto seu cruento martyrio obiisse judicentur et Romæ sepulti et eorum obitus dies optime notus; ceteri vero qui in variis documentis martyres appellantur vel non cruento martyrio, sed inter ærumnas exilii aut carceris vitam posuerint, vel Romæ sepulti non essent nec eo adhuc anno 336 translati, vel certe (quoad antiquiores præsertim) dies obitus eorum jam non esset satis notus.

19. Cur autem in priori indice non ascendatur ultra annum 254, hac ingeniosa et probabili conjectura explicat de Rossi (2). Advertit nimirum immediate ante *Depositiones episcoporum* inter documenta Filocaliana exhiberi indicem Præfectorum Urbis inde ab eodem illo anno 254. Hunc autem ex ipsis tabulis publicis in archivo Præfecturæ Urbanæ repositis desumptum esse et per se admodum credibile est et confirmatur ex accurata notatione (inde ab an. 288) dierum quibus singuli Præfecti munus suum obire cœperunt. Quod autem

(1) Tom. I Aug. pp. 113, 114.
(2) *Roma Sotterr.* t. II. p. VI-IX.

indicem ab anno 254 exorsus sit scriptor, eam ob causam factum dubitari vix potest quod ipsæ tabulæ publicæ superiorum annorum jam non extarent. Hoc itaque posito, facile conjicere licet in iisdem tabulis inscriptos fuisse dies obituales singulorum Pontificum qui eo tempore sedem Romanam obtinuerunt. Quum scilicet circa med. sec. III christiani cœmeteria et alia bona immobilia nomine *corporis* legitime possidere cœperint, necesse inde jam erat ut nomina eorum qui coram publica auctoritate civili hujus corporis præfecturam ac proinde personam gerebant, publicis tabulis inscripta essent (1), et Romæ quidem apud Præfectum Urbis, cujus erat ejusmodi corporum jura tueri eaque in officio continere. Itaque exordium et terminum singulorum pontificatuum in iis tabulis consignari oportuit et ex his certo illa indicare potuit auctor noster.

20. Conjecturam suam confirmat de Rossi ex iis quæ habentur in tertia parte catalogi, quæ etiam inter Stephanum et Marcum seu an. 255-336 continetur ac proinde jure merito eidem auctori tribuenda videtur qui indicem *Depositionum episcoporum* confecit. In ea tertia parte scilicet nonnulla leguntur quæ facile explicantur per illam hypothesim; secus vero, omnino ex-

(1) Quod confirmari potest ex verbis Tertulliani idipsum catholicis exprobrantis *De fuga in persec.* cc. 12, 13 : « Non decet Christum pecunia constare. » Quomodo et martyria fieri possent in gloriam Domini, si tributo licentiam » sectæ compensaremus?... Massaliter totæ ecclesiæ tributum sibi irrogave» runt. Nescio dolendum an erubescendum sit, cum *in matricibus beneficiariorum et curiosorum* inter tabernarios et lanios et fures balnearum et » aleones et lenones Christiani quoque vectigales continentur. »

plicari non possunt. Nimirum ***a.*** Indicatur *Marcellinus* sedisse ab anno 296 usque ad annum 304; deinde adjungitur : « Quo tempore fuit persecutio et cessavit » episcopatus ann. VII. m. VI. d. XXV. » Hæc autem tam diuturna sedis vacatio omnino conciliari non potest cum duratione pontificatuum Marcellini, Marcelli et Eusebii hoc eodem loco notata. Res autem plana fit, si verba citata intelligantur de cessatione *legali*, quia scilicet eo septennio (ab initio anni 304 usque ad mensem Julium anni 311) confiscatæ erant secundum edictum Diocletiani omnes christianorum possessiones ac proinde agnitum tamquam legitimum non erat *corpus* ecclesiæ christianæ nec ejusdem caput. Quod ultimum confirmari potest ex iis quæ leguntur in Libro Pontificali in vita Marcelli : « Hic coarctatus est et tentus, » eo quod ecclesias ordinavit, et comprehensus a » Maxentio *ut negaret se esse episcopum.* » — ***b.*** *Miltiades* dicitur sedisse « an. III. m. VI. d. VIII. ex » die VI nonas Julias a consulatu Maximiniano VIII » solo, quod fuit mense Sep. Volusiano et Rufino [311] » usque in III id. Januarias Volusiano et Aniano » coss. [314]. » Jam vero a die VI nonas Julias an. 311 usque III id. Januarias an. 314, habentur tantum anni duo cum sex mensibus et octo diebus. Hæc autem contradictio apparens inter priorem indicationem durationis pontificatus (ex documento ecclesiastico, ut videtur, desumptam) et posteriorem, rursus facile explicatur, si advertatur legitimam restitutionem in priora jura concessam fuisse christianis tantum anno 311,

postquam Miltiades jam per annum circiter Romanam sedem tenuisset, ac proinde ejus nomen nonnisi hoc anno 311 in tabulas præfecturæ urbanæ relatum esse, unde posteriorem indicationem hauserit auctor noster.

§ 3. De aliis catalogis latinis sec. IV et V.

21. Præter *Liberianum*, quatuor alii catalogi latini supersunt non multo sequioris ætatis, Auctoris carminis adversus Marcionem (1), Optati Milevitani, Augustini et Hieronymi (2). Quibus autem e fontibus illi excerpti sint, prorsus incertum est.

22. Celebris etiam est series illa inscriptionum quæ cum imaginibus Romanorum Pontificum conspiciebantur in superioribus parietibus antiquæ Basilicæ S. Pauli via Ostiensi et a Bianchinio accurate descriptæ sunt. Qui et validis argumentis ostendit illas effigies cum inscriptionibus positas esse tempore S. Leonis M. (an. 440-461) vel saltem Symmachi (an. 498-514). — Porro his inscriptionibus indicatur ordo successionis RR. PP. usque ad Innocentium I (qui sedit an. 402-417) et duratio uniuscujusque pontificatus (3).

(1) Qui forte est sec. III.

(2) Hos exscriptos vid. infra (App. **D**). — Prosper Aquitanus autem et ceteri chronographi latini posteriores seriem RR. PP. desumpserunt ex Chronico Hieronymiano : quos proinde hic recensere supervacaneum visum est.

(3) Series illa inscriptionum cum aliis catalogis collata reperitur apud Bianchini (P. L. t. CXXVII. p. 281) et ex eo apud Solesmenses, p. 180. — Inscriptiones positas esse tempore Symmachi satis incertum existimat Lipsius, *Chronologie*, etc. (p. 86-87); antiquiores supponi posse omnino negat, sed nimis gratuito.

§ 4. De catalogis latinis sec. VI.

23. I. Horum primus occurrit catalogus quem Hormisdæ tempore (an. 514-523) confectum esse habetur ex eo quod in eo Pontifice desinit (quibusdam ejus successoribus in nonnullis codicibus deinde alia manu adjectis). Primam autem partem ejus usque ad Silvestrum e catalogo sub hoc Pontifice vel ejus successore conscripto desumptam esse, colligitur ex eo quod post nomen Silvestri legitur hæc nota : « Positio ejus kalendas Januarias, » et in fine totius catalogi hæc altera : « Ab Apostoleca sede Petri Apostoli usque ordenatione sancti Silvestri anni CCLVII (1). » — Hunc e codice (2) Corbeiensi n. 26 (3) edidit Mabillonius (4) et recens ex eodem codice accuratius descriptum F.-X. Kraus (5). Duo alia ejusdem apographa, alterum a Bethmann e codice canonum Vaticano Christinæ 1997 sec. VIII vel IX, alterum a Pertz e codice Middlehill 1743 sec. VIII descripta, citat Lipsius (6).

24. II. Inter catalogos seculi VI præcipue celebris

(1) Præterea fontem hujus primæ partis græce scriptum fuisse concludi potest ex eo quod pro nomine Pii *Osus* legitur.

(2) Circa quem, quoad hanc partem sec. VI, cfr. KRAUS in Periodico *Tubing. Quartalschr.* an. 1871. p. 281.

(3) Nunc Parisiensi lat. 12097 seu S. Germani a Pratis n. 926.

(4) *Veter. Analect.* t. III. p. 426. — Et ex eo Solesmenses, *Origines de l'Eglise Romaine*, Pièces justific. I.

(5) *Tubing. Quartalschr.* an. 1871. p. 283. Unde eum exhibemus in App., **D**.

(6) Op. cit. p. 78, eorumque variantes lectiones ibid. p. 98 sqq.

est *Catalogus Felicianus* (1) seu Felicis IV (S. P. an. 526-530), qui jam merito prima recensio Libri Pontificalis vocatur (2). Tria ejus nota sunt exemplaria mss., videlicet ***a.*** in codice canonum Vaticano Christinæ (3) sec. VIII vel IX, ex quo illum ediderunt Henschenius et Papebrochius (4) et deinde accuratius Schelstraete (5), qui et variantes lectiones adjecit ***b.*** ex codice Colbertino 1868, ejusdem ætatis (6). ***c.*** Tertium reperit de Rossi (7) in codice Bernensi 225, etiam quoad hanc partem sec. VIII vel IX (8). — Porro auctorem incertum hujus catalogi usum esse catalogo Liberiano, manifestum facit : ***a.*** quod nomina consulum usque ad tempora Liberii refert omnino sicut in priori catalogo habentur (et quidem cum iisdem erroribus); post Liberium autem consules jam non notantur nisi in Felice IV et ejus prædecessore. ***b.*** Quod verba catalogi Liberiani in posteriori passim exscripta sunt.

(1) Qui etiam ex codice unde desumptus est *Catalogus Reginæ Suecie* et ex tempore quo confectus, *Catalogus sec. VI* vocari sæpe solitus est.

(2) Quo nomine eum designat de Rossi, *Roma Sotterranea*, passim.

(3) Nunc Bibl. Alexandrino-Vaticanæ seu Vaticano 347.

(4) *Act. SS.* Tom. I April. Prolegom. seu *Præfat. Bolland.* t. II. p. 59.

(5) *Antiq. Eccles.* t. I. p. 402 sqq. (col. 4). — Editionem Schelstraete exhibent etiam Bianchini (P. L. t. CXXVII. p. 1003 sqq.) et Solesmenses op. cit. p. 212 sqq.

(6) Nunc Paris. 1451.

(7) V. *Roma Sotterr.* t. II. p. XXVII.

(8) Cfr. LIPSIUS op. cit. p. 80-82, ubi tres codices paulo accuratius descripsit. Variantes autem lectiones ex iis notatæ circa numeros annorum, mensium et dierum singulorum pontificatuum exhibentur ibid. p. 98 sqq.

25. III. Habetur et catalogus usque ad Vigilium († 555) productus, qui ex membrana (1) musei Bollandiani exhibetur in *Act. SS.* Propyl. Maii (2).

26. IV. Quartum denique ejusdem ætatis catalogum ex codice Colbertino edidit Montfaucon (3), sub Joanne III (an. 560-573) primum confectum (4), aut certe sub Pelagio II (an. 579-590) (5).

§ 5. De catalogis latinis sec. VII.

27. Quatuor item habentur catalogi latini sec. VII. Quorum ***a.*** primus seriem Pontificum a Petro deducit usque ad Gregorium M. (ob. an. 604); quem ex unico codice Bibliothecæ Urbino-Vaticanæ 143 (an. 1483 ex antiquiori descripto) edidit Schelstracte (6). ***b.*** Alterum productum ad Theodorum († 649) protulit Dodwellus (7) e codice Bodleiano n. 94 et nuper F.-X. Kraus (8) e codice Mettensi sec. VIII. ***c.*** Tertius usque ad Cononem

(1) Sec. XI, ut videbatur Papebrochio, descripta.

(2) Pag. * 75 et inde apud Solesmenses, Pièces justific. n. V. Qui tamen perperam seriem post Vigilium, a Papebrochio (quod ipse diserte monet) ex Mabillonii editione codicis Corbeiensis 630 (de quo infra N. 27 extr.) exscriptam, tamquam partem ejusdem illius catalogi exhibent.

(3) In prolegomenis ad Opera S. Athanasii (P. G. XXV. p. 184).

(4) Quod colligitur ex eo quod series episcoporum Alexandrinorum illi præmissa pertingit ad an. 569.

(5) Ut habetur ex nota hujus Pontificis nomini subjecta.

(6) *Antiq. Eccles.* t. I. p. 595. — Et ex eo ap. Solesmenses, Pièces justific. II.

(7) Diss. cit. cap. 15. (p. 222). — Inde ap. Solesmenses, Pièces justif. III.

(8) *Tubing. Quartalschr.* 1871. p. 286.

(an. 687) pertingens (1), editus est a Mabillonio (2) e codice Corbeiensi n. 630.

De catalogis sec. IX, X et XI sermo recurret infra art. III.

ARTICULUS II.

DE LIBRO PONTIFICALI.

28. Opus quod hactenus hoc nomine designari consuevit, recenset vitas Pontificum Romanorum a B. Petro ad Nicolaum I (qui obiit an. 867) vel etiam in posterioribus editionibus usque ad Stephanum VI (S. P. an. 885-891); satis breviter quidem usque ad Constantinum S. P. (an. 708), a Constantino autem ita diffuse ut totam fere historiam ecclesiasticam attingat. Præter acta Pontificum, complures refert donationes pias basilicis Urbis factas, complura quoque de martyribus eorumque sepultura.

29. Ea collectio primum instituta et edita videtur ante medium seculum VI (3); seculo VII vero exeunti assignanda recensio auctior *Libri Pontificalis*, quæ magis proprie hoc titulo designari solet. Illud jam concludi potest ex eo quod antiquissimus codex hujus recensionis, nuper a Pertz Neapoli inventus, ea ætate

(1) Cui addita sunt nomina Sergii I et Joannis VI (ob. an. 705), sed non indicata duratione horum pontificatuum.

(2) *Vet. Anal.* t. III. p. 429. — Inde apud Solesmenses, Pièces justif. IV.

(3) Cfr. supra N. 24.

descriptus videtur (1), et forte etiam antiquior habendus est codex Florentinus Bibl. S. Marci, qui usque ad Leonem II († 683) tantum vitas Pontificum descriptas exhibet. Sequioris vero ætatis codices alii aliis longius seriem vitarum deducunt; qui longissime, usque ad extremum seculum IX.

Jam de præstantis illius documenti auctore vel auctoribus, momento historico et editionibus typis impressis inquirendum..

§ 1. De auctoribus Libri Pontificalis.

30. Codices nonnulli auctorem inscribunt Damasum (S. P. an. 366-384) atque in hujus rei testimonium duas epistolas proferunt, alteram Hieronymi ad Damasum, qua is rogatur prædecessorum suorum res gestas per ordinem paucis enarrare, alteram responsoriam Damasi, qua huic petitioni se satisfacere indicat. Verum : 1° Hæ epistolæ jamdudum ab eruditis spuriæ judicatæ sunt. Præterea 2° Nemo veterum qui sec. VIII, IX et X Librum Pontificalem citarunt, illum Damaso attribuit. Neque etiam 3° illum Damaso attribuere sinunt errores chronographici qui in eo reperiuntur. Ac denique 4° Stylus incultus et impolitus illius partis a Damasi elegantia omnino alienus est, quumque uniformis sit in omnibus Pontificum vitis a

(1) Pertz, *Archiv. der Gesellsch. für ältere Deutsche Geschichtskunde*, t. V. p. 70 sqq. (cit. ap. Lipsius, *Chronologie*, etc. p. 83).

S. Petro usque ad initia seculi VIII, inde satis colligitur eas nequaquam a diversis auctoribus, sed ab uno eodemque fuisse conscriptas.

31. Bellarminus, Baronius et alii multi Anastasium Bibliothecarium (seculo IX) auctorem vel saltem primum collectorem hujus historiæ Pontificum fuisse opinantur (1). Hæc sententia tamen refutatur : 1° Auctoritate mss. codicum qui antiquitate sua Anastasium superant et Librum Pontificalem continent (2). 2° Ex iis qui ipso tempore Anastasii vel etiam ante illud scripserunt et Libri Pontificalis mentionem faciunt, ut Rodulphus Presbyter, Hincmarus Rhemensis, auctor libri ritualis Carolo M. tributi, et V. Beda. Sed et ii etiam qui post Anastasium scripserunt, Librum Pontificalem citarunt absque Anastasii nomine, adeo ut nemo omnino, ut videtur, usque ad seculum XVI, illum Anastasio tribuerit. 3° Ex diversitate styli in variis vitis, ex qua colligitur ultimam partem (post sec. VII) conscriptam esse a diversis auctoribus.

32. Hæc postquam satis fuse demonstravit Schelstraete (3), statuit primam partem Libri Pontificalis (quæ complectitur vitas Pontificum usque ad Constan-

(1) Quæ opinio inde orta videtur quod in quibusdam codicibus nomen Anastasii tamquam auctoris inscriptum legitur vitæ Nicolai I, quæ ultima in iis habetur. — Fuit autem Anastasius vir suo tempore singularis eruditionis, origine Græcus, tum græce tum latine doctissimus, et diu Constantinopoli versatus. A Nicolao I, ut videtur, constitutus fuit Abbas monasterii Sanctæ Mariæ Virginis siti trans Tiberim.

(2) Cfr. supra N. 29.

(3) Diss. cit. cap. 5-7.

tinum) conscriptam esse ab uno eodem auctore initio vel saltem ante medium sec. VIII. Unum fuisse auctorem ostendit styli uniformitas (1). Illum autem scripsisse ante med. sec. VIII præterea colligitur ex duplici indicio : 1° In vita Leonis II de hoc Pontifice refertur : « Hic suscepit sanctam sextam Synodum, quæ per Dei providentiam *nuper* in regia urbe celebrata est. » Jam vero sexta Synodus CPoli celebrata est sub Agathone, Leonis II prædecessore, an. 681. 2° In vita Cononis, ubi agitur de ejus assumptione ad summum pontificatum, quæ contigit an. 686, legitur : « et missos pariter una cum clericis et populo ad excellentissimum Theodorum exarcham, *ut mos est*, direxerunt. » Quibus verbis ostenditur hanc vitam conscriptam esse eo

(1) Contra vero Ciampini (*Exam. Lib. Pont.* sect. III) miram styli varietatem etiam in hac parte quæ vitas Pontificum usque ad extr. sec. VII complectitur, sibi videtur deprehendere. Sed eum sibi mire imponere, facile constat ex iis ipsis quæ ad suam sententiam comprobandam affert. Ideoque a Schelstraetii conclusione recedendum non duximus. Neque huic conclusioni obstat 1° quod reperti sunt codices Libri Pontificalis aliquot annis seculo VIII antiquiores (Cfr. supra N. 29). Potuit enim auctor, postquam historiam Pontificum usque ad extremum seculum VII deduxisset, deinde in aliis editionibus quorumdam posteriorum vitas addere : quod non in uno genere librorum medio ævo conscriptorum advertere licet. Nec difficultatem facessit 2° quod Humbertus Cardinalis (med. sec. XI) in opusculo contra Nicetam Pectoratum refert a legatis Agathonis S. P. in sexta Synodo citatum fuisse locum ex Gestis Pontificalibus ad respondendum interrogationi cuidam Constantini Imp. de Sacrificio Missæ : unde concludendum esset Librum Pontificalem conscriptum fuisse ante tempora Constantini S. P., quum Agatho triginta ferme annis ante Constantinum obierit. Nam Acta illa, quæ citat Humbertus, evidenter apocrypha sunt : nihil enim in Actis græcis genuinis reperitur quod ad hujusmodi interrogationem Constantini Imp. spectet. Præterea id quod legati ex Libro Pontificali allegasse dicuntur, nequaquam in hoc libro legitur.

tempore quo exarchæ adhuc Ravennæ pro imperatoribus Italiam administrabant. At horum ultimus Eutychius ab Aistulpho Longobardorum rege pulsus est an. 752.

33. Ulterius statui potest auctorem scripsisse Romæ et archivo Sedis Romanæ præfectum fuisse vel saltem ad illud habuisse accessum. Primum probatur ex eo quod ubique se magnam Urbis et agri Romani notitiam habere demonstrat et præterea quod in Sisinnio : « Erat (ait) constans animo et curam agens pro habitatoribus *hujus* civitatis. » Alterum probatur ex eo quod nonnumquam allegat instrumenta publica in archivo Sedis Apostolicæ asservata. Sic in vita Leonis II loquitur de constituto « quod archivo Ecclesiæ continetur. » Et in vita Joannis V (an. 685) de concilio sacerdotum, « quorum chirographus archivo Ecclesiæ detentus est. » — Porro eumdem usum esse Catalogo Felicis IV temporibus concinnato satis colligitur tum ex eo quod multa ex illo fere ad verbum exscripsisse videtur, tum ex consulum notis, quas auctor noster manifeste ex dicto catalogo desumpsit : nam nullos alios consules exhibet præter illos qui in eo catalogo assignantur, nimirum eos quibus cœperat et finierat pontificatus singulorum Pontificum usque ad Liberium et eos quibus item signantur initium et finis pontificatus Hormisdæ et Felicis IV ejus successoris (1).

(1) Schelstraete, cap. 9. nn. 1, 2.

34. Ostendit deinde Schelstraete vitarum Pontificum qui post Constantinum Sedem Apostolicam occuparunt auctores, eorumdem coævos fuisse et Romæ scripsisse (1). — Nicolai I vitæ auctor jam satis communiter reputatur Anastasius ille, cui inde perperam tota collectio attributa est.

§ 2. De auctoritate Libri Pontificalis.

35. Librum Pontificalem publica auctoritate conscriptum esse censet Watterich in Prolegomenis ad *Pontificum Romanorum vitas* (2). At hanc assertionem non aliis præter sequentia comprobat argumentis. Videlicet

a. « Roma christiana cum sese ineunte sæculo quarto de sepulcrorum angulis latebrisque ad libertatem erigeret, Pontificum et ipsa maximorum annales, et majoribus sanctioribusque de causis, quam Roma vetus, describere cœpit. Etenim cum ubique apud christianos, maxime vero in Urbe constaret, niti auctoritatem ecclesiasticam Pontificum inter se succedendi justo ordine : danda erat opera, ne singulorum Urbis antistitum nomina et tempora unquam oblivioni traderentur. Præterea Pontifices Romani legum ferendarum eminebant singulari potestate; quare cavendum erat, ne decretorum auctores, ne temporum rationes ignorarentur, ne

(1) Cap. 8. nn. 2 et 5-10.

(2) *Pontificum Romanorum qui fuerunt inde ab exeunte sæculo IX usque ad finem sæculi XIII Vitæ ab æqualibus conscriptæ, quas ... edidit* J. M. Watterich. Lipsiæ 1862. Tom. I (an. 872-1099). Tom. II (1099-1198). — Exspectatur adhuc Tom. III.

vis laboraret juris ecclesiastici. Denique religiosum Romanis erat, Pontificum suorum res, ut Christi præsidio peculiari gubernatas, non mandare litteris. — His igitur de causis ex nominum catalogis, ex titulis sepulcralibus, ad litterarum librorumve fidem, ex hominum etiamtum superstitum memoria ab ecclesiæ Romanæ clericis sæculo quarto *liber Pontificalis* Romanus (1) publice conscribi cœptus est (2). »

36. *b.* « Antiquam hanc fuisse curiæ Romanæ consuetudinem ut rebus Pontificum describendis consuleret, initio commentationis nostræ (3) dictum est. Id quidem tam rei natura, a nobis in initio exposita, ostendit, quam libri veteris Pontificalis forma. Singulorum Pontificum res jam in catalogo Liberiano ad instar publicorum documentorum, immo monumentorum conscriptæ sunt. In vitis autem quæ leguntur, præsertim quæ ex archivo Lateranensi petita sunt plurima, ad publicam eas Romanæ ecclesiæ necessitatem et usum scriptas esse probant. Denique auctores scribendi usi sunt genere a privato prorsus alieno, oratione gravissima et omnino solemni, ita ut quisque non privatos se homines audire sentiat, sed magistratum (4). »

37. Denique *c.* « Pontificum vitas *auctoritate publica* conscribendi *morem antiquum* etiam Gregorio VII

(1) Seu Catalogus Liberianus.
(2) WATTERICH, Op. cit. tom. I. Proleg. p. XIII.
(3) Loco scilicet citato N. præc.
(4) Proleg. cit. p. LIX.

et ejus curiæ notissimum fuisse, Brunonis Signiensis verba a nobis capite II pg. XXIII in universum dumtaxat considerata (1), clare demonstrant. Gregorius VII enim nisi *officium* a suis negligi, nisi *usum*, « ad gloriam Romanæ ecclesiæ » institutum, diutius quam opus esset, intermitti sensisset, cardinales *rogasset* fortasse ut scriberent, sed *non acriter reprehendisset*, non « *increpasset*. » Hanc Gregorii fuisse sententiam Bruno confirmat, qui se eo solo excusat : quod « *in commune* » tantum, « et nulli nostrum *specialiter* hoc agere *jubebatur!* » Itaque « nemo fuit, qui ea scriberet, quæ omnibus scribenda *mandabat* (2). »»

38. Hactenus Watterich. At nemo non videt ***a.*** Iis quæ sub primo argumento conclusimus, indicari tantum rationes *a priori* quæ movere potuerint ut Liber Pontificalis publice conscriberetur, non vero demonstrari a posteriori illum revera publice esse conscriptum. ***b.*** Quæ autem continentur sub tertio argu-

(1) Quæ scilicet protulit Bruno in Oratione panegyrica potius quam Vita Leonis IX quam ipsi debemus, ubi « Multa nobis (ait) beatus Gregorius Papa de hoc viro narrare solebat. Qui cum nobis audientibus aliquando de ipso loqueretur, cœpit nos increpare et me præcipue, ut mihi videbatur (siquidem in me oculos intentos habebat), quoniam beati Leonis facta silentio præterire pateremur et quod non ea scriberemus, quæ Romanæ ecclesiæ ad gloriam et multis audientibus forent ad humilitatis exemplum. »

(2) Proleg. cit. p. LIX. not. 3. — Refert deinde Watterich alia verba ex conclusione ejusdem orationis, ubi significat Bruno se « *non sine imperio* » eam dictasse, sed ex mandato ipsius Leonis, qui in somnis apparuerat cuidam Cardinali, jubens hunc ad Brunonem accedere et ad persolvendum debitum eum hortari. Ex quibus scilicet probare rursus nititur Watterich vitam Leonis a Brunone *ex officio* scriptam esse, conclusione certe perquam violenta.

mento, facile etiam constat nimis exaggerata esse. Quasi scilicet non potuisset quivis privatus clericus, qui arte scribendi aliquid polleret, hac ratione ex sensu pietatis erga præclarum Pontificem Leonem IX et Romanam Ecclesiam incitari ut privato studio, et quamvis nullo modo *ex officio* id specialiter ad ipsum pertineret, virtutes illius et res gestas ad omnium ædificationem scripto consignaret; nec rursus, præsertim secundum modum loquendi illorum temporum, *increpare, jubere, mandare* dici potuerit Gregorius VII, ubi vehementius ad hujusmodi operam suscipiendam clericos suos excitaret. ***c.*** Restat itaque secundum argumentum, petitum tum ex ipsis rebus quæ leguntur in Libro Pontificali, tum ex simplicitate et gravitate sermonis. At sermonem potius rudem quam simplicem et gravem esse communiter consentiunt eruditi. Quod autem ad res ipsas pertinet, inde solum habetur auctorem vel auctores præcipue usos esse documentis publicis : quod utique satis constat ex omnibus iis quæ supra dicta sunt sive de Catalogo Liberiano et documentis hagiologicis ipsi adnexis (1), sive de ipso Libro Pontificali (2); non vero ipsam eorum scriptionem vel *ex officio* fuisse susceptam vel auctoritate publica fuisse recognitam et comprobatam : quod necessarium foret ut vere *publica* dici posset.

39. Itaque satis non constat, etiam probabiliter, Librum Pontificalem publice scriptum esse. Sed neque

(1) N. 6 sqq. (pag. 203).
(2) N. 33 (pag. 224).

magis certo definire licet quinam præter Catalogum Liberianum fontes adhibiti sint in illo concinnando sive secundum priorem illam formam quæ *Catalogus seculi sexti* seu *Felicis IV* vocari solet, sive secundum posteriorem et definitivam. Attamen, etiam circa vitas primorum Pontificum, dubitari non potest multas traditiones veras in eo contineri : quod colligitur præsertim ex collatione earum vitarum cum inscriptionibus adhuc Romæ extantibus et cum aliis documentis authenticis. At ex alia parte non minus certum videtur primos istarum auctores, quorum alter seculo VI, alter seculo VIII scripsit, etiam usos esse documentis et traditionibus quibusdam apocryphis (1) : unde et nonnullas fabulas apud eos offendi mirum non est.

§ 3. De Libri Pontificalis editionibus recentioribus.

40. Librum Pontificalem (post Crabbeum et Binium in suis Collectionibus Conciliorum) primum edidit J. Busæus S. J. Moguntiæ an. 1602 ex cod. ms. Marci Velseri. — Altera deinde editio prodiit Parisiis an. 1647, curante Car. Ant. Fabrotto cum variis lectionibus excerptis tum ex Crabbeo, Binio et Baronio, tum ex codd. mss. Bibliothecæ Vaticanæ et aliis in Germania et Gallia repertis, præsertim Freherianis duobus, Regio, Mazarino et duobus Thuanis. — Luc. Holstenius paratam a se editionem in lucem publicam

(1) Cfr. supra pag. 135.

non protulit. — Tertiam itaque editionem instituit Franciscus Bianchini tomis quatuor in folio : quorum primus (Romæ 1718) præter vitas Pontificum et variantes lectiones quas edidit Fabrottus, continet auctarium variantium lectionum descriptarum ex vetustissimis exemplaribus et catalogis mss. (1); duo tomi sequentes et quartus, quem post mortem Francisci edidit (Romæ 1735) Josephus Bianchini, ejus fratris filius, complectuntur notas variorum in vitas Pontificum usque ad Paulum I (an. 757) et præterea prolegomena quædam et documenta vetera (2). — Editionem Bianchinii expressit Muratori Tom. III Scriptorum Rerum Italicarum (Romæ 1724), adjectis variantibus lectionibus e codicibus quatuor nondum adhibitis (3).

41. Hi omnes textum vitarum protulerunt secundum editionem principem Moguntinam. Aliam editionem ex 19 codicibus Vaticanis instituit Joannes Vignolius Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus (4). Quæ quidem editio in pretio habetur propter multiplicem illum codicum apparatum, quorum variantes lectiones exhibentur; reprehenditur tamen a nonnullis Vignolius, quod ipsum textum non ex certis regulis, sed arbitrario nimis emendaverit.

(1) Vaticanis scilicet duobus, Florentinis duobus, Casinensi, Regio, Farnesiano, Vindobonensi, Reginæ Sueciæ, Colbertino et Cavensi. — Adjecit Bianchini lectiones variantes ab Holstenio pro sua editione collectas.

(2) Quæ omnia recusa sunt ap. Migne, P. L. tt. CXXVII et CXXVIII.

(3) Quibus addi potest altera recusio textus editi a Fabrotto, Venetiis 1729. fol. — Ejusdem formæ (fol.) sunt editiones ann. 1602 et 1647.

(4) 3 vol. 4. — Tomus primus prodiit Romæ an. 1724; secundus an. 1753; tertius an. 1755.

42. Recens parabatur in Germania a viro erudito D. Pabst editio præstantissima, inter *Monumenta Germaniæ Historica* inserenda. Apparatum codicum ad hanc editionem adhibendorum, a D. Pabst secum communicatum, breviter exhibet Lipsius (1). At Pabst in infausto bello quod ante hos quinque annos inter Germaniam et Franciam exarsit, interempto, quonam in statu sit editio cujus ipse curam susceperat, prorsus equidem ignoramus.

§ 4. De aliis documentis circa historiam RR. PP. usque ad extr. sec. IX.

43. Juvabit hoc loco et reliqua scripta indicari quibus veterum traditiones circa illius ætatis Pontifices servatæ sunt, quamquam quædam nullius, pleraque admodum incertæ sunt auctoritatis apud eruditos (2). Habentur itaque circa historiam Pontificum Romanorum :

Sec. I. *Petri* Acta quæ Lino auctori attributa sunt (3) et Clementi suppositæ Recognitiones, Homiliæ, Epitome de gestis Petri et Epistola ad Jacobum (4) jam seculo IV vulgatæ. — Et ipsius *Clementis* præterea Vita (5) et Martyrium (6), Simeoni Metaphrastæ adscripta.

(1) *Chronologie der Römischen Bischöfe*, p. 83 sqq.
(2) Cfr. dicta supra Cap. II. N. 9 (pag. 119).
(3) Ed. in *Act. SS.* ad 29 Junii.
(4) Ed. ap. Migne, P. G. tt. I et II.
(5) Ap. Surium ad 23 Novembris.
(6) P. G. t. II. p. 618.

Sec. II. Acta martyrii *Alexandri* (1) et vita *Telesphori* (2).

Sec. III. Vitæ seu Acta *Callisti* (3), *Urbani* (4), *Cornelii* (5), *Lucii* (6), *Stephani* (7) et *Xysti II* (8).

Sec. IV. Vitæ, Acta seu Gesta *Marcellini* (9), *Marcelli* (10), *Silvestri* (11), *Liberii* (12) et *Damasi* (13).

Sec. V. Vitæ *Leonis M.* (14) et *Symmachi* (15).

Sec. VI. Quædam de *Joannè I* apud Anonymum Valesianum (16) et in Dialogis Gregorii M. (17), et de *Silverio* ejus successore in Liberati diaconi Carthaginensis Breviario de causa Nestorianorum et Eutychianorum (18). — Præterea *Gregorii M.* duplex Vita, altera a Joanne Diacono post med. sec. IX

(1) *Act. SS.* 3 Maii.
(2) *Act. SS.* 5 Januarii.
(3) *Act. SS.* 14 Octobris.
(4) *Act. SS.* 25 Maii.
(5) Ap. SCHELSTRAETE, *Antiq. illustr.* t. I. p. 188.
(6) Auctore Guaiferio monacho Casin. — *Act. SS.* 4 Martii.
(7) *Act. SS.* 2 Augusti.
(8) *Act. SS.* 6 Augusti.
(9) Seu Acta Synodi Sinuessanæ an. 304 (P. L. t. VI).
(10) *Act. SS.* 16 Januarii.
(11) Ex Simeone Metaphr. (vel Joanne Zonara) ap. Surium, ad 31 Decembris.
(12) P. L. t. VIII. p. 1387.
(13) *Bibl. PP. Lugdun.* t. XXVII. pp. 61. 62, 66. — Præter hanc triplicem Vitam, ad historiam Damasi pertinet *Libellus precum* Faustini et Marcellini presbyterorum schismaticorum adversus eum ad Theodosium Imp. missus (ed. P. L. t. XIII. p. 81).
(14) *Act. SS.* 11 April.
(15) Ap. MURATORI, *Scr. Rer. Ital.* t. III. part. II. p. 45.
(16) Cfr. supra pag. 88.
(17) Collecta in *Act. SS.* t. VI Maii. p. 702 sqq.
(18) *Act. SS.* t. IV Junii, p. 14 sqq.

conscriptâ, altera alius auctoris qui a nonnullis (et jure quidem) Paulus Diaconus fuisse dicitur (1).

Sec. VII. *Honorii I* Apologia quam Joannes IV, secundus ejus successor, misit ad Constantinum Imp. et alia Anastasii Bibliothecarii Collectanea de Honorio (2). — Et Vita *Martini I* quæ apud Surium (3) a quodam ejus familiari concinnata inscribitur.

Sec. VIII. Vita *Hadriani I,* a monacho quodam Nonantulensis monasterii conscripta (4).

Sec. IX. Vitæ *Nicolai I, Hadriani II, Joannis VIII* et *Hadriani III* (5), ex catalogo quodam sec. XII descripto (6).

44. Non pauca præterea ad historiam Romanorum Pontificum speciatim spectantia reperiuntur in historiis generalibus : quæ, sicut et quæ occurrunt in scriptis dogmaticis et aliis documentis quibuslibet, fere collecta habentur in notis variorum ad singulorum Pontificum vitas apud Bianchinium (7). Juvabit etiam consulere Papebrochii Conatum Chronico-historicum (8) et Bollandianos in commentariis prævis ad eorum vi-

(1) Utramque vitam post Mabillonium, Bollandianos et editores Benedictinos operum S. Gregorii edidit Migne, P. L. t. LXXV. pp. 60, 42. — Cfr. ibid. p. 37.

(2) Ed. P. L. t. CXXIX.

(3) Ad 12 Novembris.

(4) Ex MABILLONII *Museo Italico* ap. MURATORI, tom. cit. p. 188.

(5) Quæ omnes editæ sunt apud MURATORI, tom. cit., sicut et duplex alia vita Hadriani III, ex collectionibus Bernardi Guidonis et Nicolai Aragonensis (Cfr. infra Art. III. § 3).

(6) Cod. Vatic. 3762 seu Petri Guillelmi. — Cfr. infra N. 50.

(7) In ipsius editione scilicet Libri Pontificalis.

(8) *Act. SS.* Propyl. Maii.

tas qui Sanctorum titulo decorati (et quidem illo honore dignati sunt fere omnes qui Pontificalem Sedem occuparunt usque ad medium seculum VIII) intra decem primos anni menses diem festum assignatum habent (1). — Denique recolendum est præcipuum quemdam fontem historiæ Romanorum Pontificum haberi in eorum epistolis et actis synodalibus (2).

45. Quæ autem circa eam historiam (quatenus scilicet continetur ætate de qua hic sermo est) edita sunt seculo X a Flodoardo Remensi, seculo XI a Bonizone et seculo XIV ab Amalrico Augerii de Biterris (3), sicut et quæ habentur in Abbonis abbatis Florentini (in. sec. XI) *Epitome de gestis RR. PP.* (4) et apud Pseudo-Liudprandum *de PP. RR. vita* (5), quum decerpta sint ex fontibus adhuc extantibus, nobis fontium loco esse non possunt. Et idem a fortiori dicendum est de recentioribus circa vitas RR. PP. illius ætatis scriptoribus.

(1) Qua autem die singuli colantur facile reperies in Indice Sanctorum ad calcem Martyrologii Romani et apud Potthast, *Bibl. hist. med. ævi* Supplem. (Berolin. 1868) p. 187 sqq.

(2) De quibus V. supra Cap. I. N. 2-6. (pag. 67 sqq.)

(3) De his etiam redibit sermo paulo infra.

(4) Ed. P. L. t. CXXXIX.

(5) Ed. P. L. t. CXXIX.

ARTICULUS III.

DE FONTIBUS HISTORIÆ RR. PP. EXTR. SEC. IX RECENTIORUM.

§ 1. De scriptis circa historiam RR. PP. ab extr. sec. IX usque ad S. Leonem IX (an. 1049).

46. Nulla infaustis illis Sedi Romanæ temporibus quæ ab extremo seculo IX ad medium XI protenduntur, instituta est continuatio collectionis illius quam tanta diligentia inde ab extremo seculo VII prosecuti fuerant scriptores non solum rerum æquales, sed et plerumque, ut videtur, testes domestici et participes, vel quibus certe documenta publica in archivo Pontificio reposita adeundi facultas fuit. Non defuere quidem, etiam ea ætate in qua nunc sermo noster versatur, viri qui antiquiorum illorum studia æmulati, Romanorum Pontificum successionem et acta posterorum memoriæ servare sategerunt. Id tamen adeo præstiterunt jejune ut non Pontificum Vitæ, sed tantum *Catalogi* ab eis conscripti censeantur. Horum codices accurate satis describit WATTERICH (1), in quinque classes eos distribuens, quarum prima principes et præstantissimos complectitur, quatuor vero aliæ eos qui aut α) auctoritate inferiori textum codicibus illis principibus communem repetunt, adnotationibus aliunde sumptis auctum, aut β) omissis quibusdam

(1) Op. cit. supra (pag. 225. not. 2.) tom. I. Proleg. p. XIV sqq.

rebus contractum, aut γ) textui contracto animadversiones quasdam adnectunt, aut δ) textus genuini integra vel fere integra repetunt fragmenta (1). Quam partitionem utique admodum commodam existimamus ad varietatem codicum quasi sub uno conspectu exhibendam; sed nimis gratuita videtur conclusio quam inde deducit Watterich, omnes scilicet illos catalogos ex uno eodemque codice, eoque *publice* conscripto, derivatos esse. — Porro quænam in illis catalogis circa historiam RR. PP. a Joanne VIII (an. 872) ad Damasum II (an. 1048) Leonis IX decessorem reperiantur studiose digessit Watterich (2).

47. Præter hos catalogos circa historiam RR. PP. illius ætatis habentur tituli sepulcrales quos vel seculo XII exscripsit Romæ Petrus Mallius Canonicus

(1) Nobilissimos illos codices indicat Watterich tres : Florentinum scilicet seu Laurentianum, sec. XI medii aut ineuntis, quem ipse nunc primum edidit; Eccardianum seu editum ap. Eccard, *Corpus historicum med. ævi*, t. II. p. 1629; et Petri Guillelmi seu Vaticanum 3762 (Cfr. infra N. 50), ex cujus apographo quodam parum accurato catalogum edidit Muratori, *Scr. Rer. Ital.* t. III. part. II. p. 308. — Deinde in aliarum quatuor classium prima, cod. Estensem, partim editum ibid. p. 327; et Zwetlensem apud Pez. *Thes. Anecdot.* t. I. part. III. p. 329. — In secunda classe, catalogos I et II ex editis a Vignolio in capite suæ editionis Libri Pontificalis; catalogos II ad IX ex decem editis ab Ant. Pagio *Critic. in Baron.* tom. I; et quæ habentur in Annalibus vel Chronicis Herimanni Augiensis, Mariani Scoti, Leonis Casinensis et Bernoldi Constantiensis (ap. Pertz, *Mon. Germ. Hist.* Scr. tt. V et VII). — In tertia classe, catalogos III et IV ex editis a Vignolio, in Flodoardi opusculo metrico de RR. PP. (indic. Num. seq.) et in Chronico Vulturnensi ed. ap. Muratori, t. I. part. I. p. 325. — Denique in quarta classe, catalogos ex Chronico Farfensi ed. ap. Pertz, Scr. t. XI et ex codice Trevirensi nunc primum prolatum a Watterich.

(2) Op. cit. tom. I. pp. 27-34, 45-49, 64-71.

S. Petri vel adhuc extant (1), et quædam elogia Flodoardi inter *Carmina de triumphis Christi in Italia* (2). — Et de Formoso (S. P. an. 891-896), Auxilii presbyteri Franci libri duo *de ordinationibus Formosi* ac Anonymi *Invectiva in Romam pro Formoso Papa* (3). — Et in eodem genere collocari potest Liudprandi liber *de rebus gestis Ottonis M. in Italia* (4), qui maxime versatur in historia Pontificia.

48. Denique et non pauca reperiuntur in Annalibus et aliis scriptis historicis magis generalibus, quæ cum hucusque citatis et epistolis, actis synodalibus, rescriptis imperatoriis et aliis documentis publicis collegit item Watterich (5).

§ 2. De scriptis circa historiam Leonis IX et successorum ejus usque ad finem seculi XI.

49. Inde a temporibus Leonis IX duplex genus scriptorum in historia RR. PP. conscribenda præcipue versatum præ manibus habemus.

Alterum quidem auctores habet imperatorum Germanorum partibus addictos et inde Pontificibus qui iisdem imperatoribus adversati sunt, infensos. Inter

(1) Ed. ibid. p. 83-90.

(2) Ed. P. L. t. CXXXV. — Jam ex comparatione carminum Flodoardi cum titulis sepulcralibus mox memoratis constat quædam illorum ex his exscripta esse.

(3) Ed. P. L. t. CXXIX.

(4) Ap. Pertz, Scr. t. III. — P. L. t. CXXXVI.

(5) Op. cit. p. 18-82 et p. 623-731.

hos principem quemdam locum tenent auctores Chronici cui titulus *Annales Romani* (an. 1044-1183) (1). Quibus affinia sunt Bennonis Pseudo-Cardinalis *De vita et gestis Hildebrandi* (2), Benzonis episcopi Albiensis *Panegyricus in Henricum IV* (3); et Anonymi (secundum multos Otberti episcopi Leodiensis) *Historia de vita Henrici IV* (4). Ejusdem generis sunt Walrami episcopi Numburgensis *Apologia pro Henrico IV Imp. adversus Hildebrandi epistolam* seu *De unitate Ecclesiæ conservanda* (5); Theodorici episcopi Virdunensis Epistola ad Gregorium VII (6); Conradi episcopi Trajectensis *Oratio pro imperatore Henrico* contra papam Gregorium VII dicta in comitiis (7); Alboini presbyteri epistolæ duæ *de conjugio sacerdotum per Hildebrandum damnato* (8); libellus Petri Crassi et alter a schismaticis editus (9); Widonis episcopi Ferrariensis *De schismate Hildebrandi* (10); Anonymi Gesta Henrici IV imperatoris seu Carmen de bello Saxonico (11). Eisque adjungi possunt quæ de Pontificibus hujus ætatis referunt Sigebertus mona-

(1) Ap. Pertz, Scr. t. V. — Cfr. Watterich, t. I. Proleg. p. xliii-xlvi.
(2) Ap. Goldast, *Apologiæ pro Henrico IV. imp.* Hanoviæ 1611. 4.
(3) Ap. Pertz, Scr. t. XI.
(4) Ap. Pertz, Scr. t. XII.
(5) Ap. Marquard. Freher, *Rer. Germ. Scr.* t. I.
(6) Ap. Martene, *Thes. nov. anecd.* t. I.
(7) Ap. Goldast, Op. cit.
(8) Ibid.
(9) Ap. Sudendorf, *Registrum oder merkwürdige Urkunden* (Iena 1849. 8) t. I.
(10) Ap. Pertz, Scr. t. XII.
(11) Ap. Goldast, Op. cit.

chus Gemblacensis in suo Chronico (1); ARNULFUS Mediolanensis inter *Gesta archiepiscoporum Mediolanensium* (2); et LANDULFUS senior in sua *Historia Mediolanensi* (3).

50. Ex alia parte vero, Pontificibus familiarium vel amicorum, præ manibus nobis sunt :

I. Celebris collectio, de qua hucusque non paucis tenebris obvoluta, non ita pridem (4) luculenter disseruit Watterich. Cujus ipsa verba exscripsisse hic juvabit. Sic itaque ille (5) :

« Ex venerabilis Baronii tempore ad investigandas Pontificum Romanorum res viri docti vitarum quadam collectione utebantur, quam alii *Petri bibliothecarii* sive *Guillelmi* esse putabant, alii *Pandulpho Pisano* tribuebant, Baronius tamen et Papebrochius pluribus auctoribus adscribebant. Quas quidem vitas, jam ab Onuphrio Panvinio ad componendam Pontificum Romanorum historiam adhibitas, primus magnam partem Baronius, deinde Papebrochius (6), integras demum Muratorius (7) edidit. Incipiunt autem inde a Leone IX et, si Muratorio credimus, usque ad Alexandrum III, si Papebrochio, usque ad Honorium II pertinent. Sed

(1) Ap. PERTZ, Scr. t. VI et P. L. t. CLX.
(2) Ap. PERTZ, Scr. t. VIII et P. L. t. CXLVII.
(3) Ap. PERTZ et P. L. tt. citt.
(4) Post Giesebrecht, Diss. cit. supra pag. 198. not.
(5) *Pont. Rom. Vit.* t. I. Proleg. p. XLVII sqq.
(6) In *Conatu chronico-histor.*, passim.
(7) *Scriptt. Rer. Ital.* t. III.

de hac re tandem ut recte indicemus, investigandum est, quomodo de codicibus manuscriptis comparatum sit.

» Notissima est Onuphrii Panvinii sententia, vitas libri veteris Pontificalis usque ad Nicolaum I conscriptas esse ab Anastasio ecclesiæ Romanæ bibliothecario, eas autem quæ sequantur usque ad Alexandrum II, a Guillelmo quodam altero bibliothecario (1). Quæ sententia quanquam ab omnibus jam relicta est, tamen de Guillelmo quidem quomodo orta sit, non inutile erit cognovisse.

» Guillelmo autem bibliothecario ut quondam libri Pontificalis partem tribueret, Panvinius nulla alia re permotus est quam *codice Vaticano* 3762. Qui codex cum ad rem nostram maxime pertineat, accuratius inspiciendus est.

» Codex igitur Vaticanus 3762, membranaceus, in quarto minori, foliorum 183, post folia duo, in quibus statuta quædam civitatis Januensis scripta sunt, primum constat ex quaternionibus numeris signatis XXII, quorum folia 1-171 *eadem sæculi XII manu* descriptum habent veterem librum Pontificalem usque ad Hadrianum II (fol. 1-130), catalogum nostrum Romanum (2) et vitas usque ad Alexandrum II (fol. 131-

(1) Onuphrius Panvinius initio Chron. ecclesiastici : « Guillelmus, inquit, » sanctæ Romanæ ecclesiæ bibliothecarius, Anastasium supplevit ab Ha- » driano II usque ad Alexandrum II. Vixit anno MLX. Pandulfus Pisanus » subdiaconus Apostolicus Guillelmum supplevit a Gregorio VII usque ad » Honorium II. Vixit anno MCXXX. »

(2) Cfr. supra pag. 236. not. 1.

136), deinde vitas Gregorii VII-Honorii II (fol. 137-171). Hanc sæculi XII altera sequitur sæculi exeuntis XIII vel ineuntis XIV, quæ scripsit vitas Innocentii II-Hadriani V (a. 1130-a. 1276. fol. 172-180). Denique vitas Johannis XXI-Martini IV manus sæculi recentioris scripsit in foliis 180 b - 183 b....

» Prima pars (fol. 1-171) cum manifesto ad sæculum XII pertinere scriptura se prodat accurata et eleganti, tum adnotatione instructa est, vel annum indicante, quo scripta est. Foliis enim 91-95, quæ præbent vitas Stephani III († 757), Pauli I († 767), Stephani IV († 773), imposita sunt hæc verba :

(fol. 91, b.) *Petrus Guillermus*	*Bibliothecarius* (fol. 92, a.)
(fol. 93, b.) *apud aceium*	*dum ibi moraretur* (fol. 94, a.)
(fol. 94, b.) *anno dñice incarnacionis*	Millesimo. c°. x° lii. (fol. 95, a.)

» Hunc igitur *Guillermum Bibliothecarium* Panvinius, neglectis iis quæ sequuntur foll. 93-95, alterum libri Pontificalis auctorem declaravit. Petrus vero Guillermus se codicis usque ad Honorium II († 1130) pertinentis *scriptorem* tantum profitetur.

» Sed quisnam fuerit fatalis ille Petrus Guillermus, quem Panvinius in sæculum IX [imo XI] relegavit, accuratius videamus. Ex foliis duobus, statuta quædam Januensia exhibentibus, ex adnotatione ad Johannis XI annum primum (a. 930-932) adscripta de prodigio quodam Januensi, et ex loco, quem Petrus Guillermus indicat, v. cl. Giesebrecht (1) efficere stu-

(1) *Ueber die Quellen*, etc. (Cfr. supra pag. 198. not. extr.)

duit, Petrum bibliothecarium fuisse Januensem. Sed conjecturis supersedere licet in re certa. Nam « Petrum, cognomento Guillelmum, monasterii sancti Egidii, quod in valle Flaviana situm est, bibliothecarium » libri de miraculis sancti Egidii scriptorem circa annum 1120 præbent Mabillonius (1) et Monumenta Germaniæ Historica (2)... Ætas quidem, qua sancti Ægidii bibliothecarius occurrit, in Petrum Guillermum nostrum optime quadrat. Egregie consentit codex ipse. Nam eo quod Johannis VIII [S. P. an. 872-882] vitam habet aperte documentis monasterii sancti Ægidii illustratam, qualem ante annum 1142 nusquam reperimus, satis apparet, hunc codicem a monacho sancti Ægidii descriptum esse.

» ... Sancti Ægidii autem monasterio, cujus abbatibus et monachis sæpissime ad dominum suum Pontificem Romanum proficiscendum erat, et cujus hospitalitate non solum plerique e Gallia Romam peregrinantes, sed etiam legati Apostolici, immo Pontifices ipsi his potissimum temporibus utebantur (3), certe facillimum erat, codices sibi parare Romanos. Et hæc de codicis nostri scriptore Petro Guillermo.

» Neque alius codex, qui easdem habeat post Dama-

(1) *Annales Benedict.* ad an. 1116.

(2) Scr. t. XII. p. 316. « Reverentissimo patri domno Hugoni, abbati » monasterii sancti Egidii, quod in valle Flaviana situm est, Frater Petrus » cognomento Guillelmus, ejusdem loci bibliothecarius, debitum in omni- » bus ut filius famulatum. » *S. Ægidii mirac.* procem. init.

(3) Gelasius II an. 1118 nov. 7, Calixtus II an. 1119 jun. 18-19, Innocentius II an. 1130 sept. 11. — Cfr. JAFFÉ, *Regest. PP. RR.*

sum II Pontificem [† 1049] vitas, nobis considerandus est. Hunc unum Panvinius in manibus habuit, Baronius excerpsit, hujus apographa sunt codices Vaticanus 1437 seculi XV, Barberinii 2017 seculi XIV et 3133 seculi XVII, manuscriptum Papebrochii, Muratorii codices Ambrosiani duo, ex hoc Cajetanus vitam Gelasii II edidit. »

51. Quum itaque constet Petrum Guillermum non esse auctorem illarum vitarum quæ aliquando sub ejus, sæpius autem sub Pandulphi Pisani nomine citatæ sunt, jam de hoc auctore vel auctoribus, et quidem hoc loco solum usque ad vitam Paschalis II (S. P. an. 1099-1118), inquirendum est. Et quidem ipsius Paschalis II vitæ auctorem, hac non ingeniosa magis quam solida argumentatione, demonstrat Watterich (1). Legitur scilicet in ea vita, cum Petro præfecto Romano mortuo, 30 Martii anni 1116, turba popularis Petrum filium ejus juvenem vi sufficere vellet, Paschalis II, ut tumultum interciperet, quæcumque ad præfecturam pertinerent occupari jussisse his verbis : *Vade P. et tu Constantine, et ex omnibus quæ ad præfecturam pertinent, ad curiæ commodum in testimonio* venerabilis hujus nostri diaconi *te investias* (2). Et subjungit statim vitæ scriptor : *Parui jussis,* ac deinde quid ad comprimendam vim popularem egerit, describit. Unus igitur ex duobus viris hic

(1) Tom. I. Proleg. p. LIV.
(2) Ap. WATTERICH, t. II. p. 11.

nominatis, hujus vitæ auctor est. Præterea, ut recte infert Watterich, « ut alter laicus esset, mandati natura (præfecturam Urbis scilicet suscipiendi) postulabat; alter cardinalis diaconus erat. Sed laicus, quamquam ipse præfecturam suscipere jussus erat, tamen altero erat inferior; nam *ad curiæ*, i. e. ad ecclesiæ *commodum* præfectura occupanda erat, et verbis *in testimonio venerabilis hujus nostri diaconi* Paschalis significavit, in exequendo negotio primas esse penes *cardinalem*. Quare si scriptor numero singulari pergit : *Parui jussis*, merito colligimus, non solum ipsum maxime hoc executum esse negotium, sed etiam diaconum fuisse cardinalem. Atqui diaconum cardinalem Paschalis II Constantinum nomine nusquam deprehendimus. Itaque jam constat, P. et diaconum fuisse cardinalem et hujus vitæ scriptorem.

» Jam investigemus, littera initialis P. quodnam nomen significet. Tres erant Paschalis II cardinales diaconi nomine Petri, unus nomine Paganus : Petrus Leonis ss. Cosmæ et Damiani, Petrus s. Hadriani, Petrus quidam, cujus diaconia non nominatur, et Paganus sanctæ Mariæ novæ (1). Quis igitur ex his scriptor noster fuerit, videamus. Qua de re legentibus quæ de *Pisanorum* gloriosa expeditione in Majorcam facta dicit (2), nulla relinquitur dubitatio. Etenim de hac victoria non solum summo cum gaudio et enume-

(1) Cfr. JAFFÉ, *Regest. RR. PP.* p. 478.
(2) *Vit. Paschalis II* ap. WATTERICH, t. II. p. 9.

ratis omnibus rei capitibus loquitur, sed etiam singulari libro se posteris eam traditurum pollicetur, ita ut eum *patriæ suæ* laude gloriari omnino persentiamus.

» Paschalis igitur vitam PETRUS ille PISANUS conscripsit. »

52. Erat autem Petrus Pisanus, ubi primum nobis occurrit, *scriptor* vel scriniarius et notarius sacri palatii. Qualis cum esset, a Paschali II diaconus cardinalis creatus est (1). Paschali II Pontifice unus tantum Petrus *notarius regionarius et scriniarius sancti palatii* in diplomatis reperitur, qui eo munere jam fungebatur Urbano II Pontifice, illudque gessit, quantum ex diplomatis judicare licet, ab anno 1094 ad 1104 (2). Post annum 1104 igitur et ante annum 1116 ad diaconi cardinalis dignitatem evectus, fidelem operam navavit Paschali II, ejusque successoribus Gelasio II, Callixto II et Honorio II : at post hujus obitum, anno 1130, maxime favit schismati Petri Leonis seu Anacleti II antipapæ, quocum arcta familiaritate devinctus erat, ac septem annos apud schismaticos mansit : a quibus tandem eloquentia S. Bernardi Clarævallensis abstractus, ad legitimum Pontificem Innocentium II rediit, ac demum supremum obiit diem anno, ut videtur, 1144 (3).

(1) « A quo sane Pontifice [Paschali II], ... Petrum Pisanum [et alios octo hic nominatos], scriptores suos omnes ac capellanos, presbyteros ac diaconos cardinales ... fecit promoveri. » *Vit. Gelasii II* ap. WATTERICH, t. II. p. 93.

(2) Cfr. JAFFÉ, *Regest. RR. PP.* pp. 449, 478.

(3) Quæ omnia fusius, allatis testimoniis, comprobat Watterich, t. I. p. LV-LIX.

53. Si Watterich credimus, scripsit Petrus vitam Paschalis II *publice* seu ex officio. At nulla alia hujus assertionis ratio esse videtur, nisi quod et publicis documentis in archivo Romanæ Ecclesiæ repositis ipsum usum esse facile constat et, secundum Watterich, « ferri omnino non potest ea sententia, notariis, camerariis, cancellariis Apostolicis, quibus *propter munus suum* archivum Lateranense patebat, licuisse ex libris et diplomatis ecclesiæ Romanæ *privatim* sibi colligere documenta et libros conficere (1). » At, pace doctissimi viri dixerim, cur ea sententia ferri non possit, equidem non video (2). — Ceterum, sive ex officio scripserit Petrus (et idem dictum intelligatur de aliis historiæ Pontificalis scriptoribus qui, sicut ipse, in ipsa curia Romana suos libros concinnarunt) sive privatim secundum publica documenta, paris quoad scientiam auctoritatis illum habendum esse manifesto constat.

54. Ulterius autem concludere nititur Watterich (3), etiam vitas superiorum Pontificum quæ in eodem codice exhibentur, inde a Leone IX, ab eodem Petro Pisano conscriptas esse. Cujus sententiæ duplex argumentum affertur : alterum *a priori*, quia scilicet omnino consectaneum videtur ut a quibus Petrus Paschalis II vitam scribere jussus fuerat, « librum ei

(1) Ibid. p. LXXXIII. not. 2.

(2) Certe nostris diebus non pauca ex archivo Vaticani protulit ejus archivi præfectus Aug. Theiner, quæ tamen publice ab ipso vulgata nemo dixerit.

(3) Ibid. p. LXI-LXIV.

Pontificalem inde ab eo Pontifice, qui Romanis videbatur in restituendo rerum ordine primus, suspicemur traditum esse continuandum; » alterum *a posteriori*, quia nimirum in omnibus iis vitis idem quoad multa deprehenditur scribendi genus quod in vita Paschalis II, et speciatim illarum omnium auctor, tum in Paschalis II vita tum in aliis « multis utitur locutionibus et vocabulis omnino singularibus atque propriis, quæ vel solæ, si in eodem codice occurrunt et in eodem libro Pontificali, unum nos statuere scriptorem jubent (1). » Cui posteriori argumento non habeo quod contradicam (2).

55. Petri Pisani seu codicis Vaticani 3762 collectioni perutile supplementum præbent quæ scripsit Bonizo, episcopus primo Sutriensis, postea Placentinus, Gregorio VII et ejus consiliis pro reformatione cleri promovendis in primis addictus, qua de causa multa acerba pertulit ac tandem anno 1091 a schismaticis crudelissime necatus est. Is igitur libros novem edidit inscriptos *Ad Amicum* seu *de persecutione Ecclesiæ*, quorum quinque ultimis historiam Pontificalem suorum temporum satis fuse complexus est (3).

(1) Id autem non paucis exemplis allatis demonstrat Watterich p. LXIII-LXIV.

(2) Inde de fontibus, utique satis incertis, ex quibus Petrus Pisanus a se narrate hauserit, disserit Watterich p. LXV-LXX.

(3) De Bonizonis vita et scriptis fuse agit Watterich, p. XXIII-XLIII. — *Libros ad Amicum* ex Œfele edidit Migne P. L. t. CL et sub singulorum Pontificum, quorum historia in iis occurrit, nominibus Watterich, t. I passim (Cfr. ibid. p. 748 sqq.) — De collectionibus autem quæ dicuntur *Nicolai* Card. *Aragonensis* et *Bernardi Guidonis* dicetur §§ seqq.

56. II. Præter illas collectiones habentur α) *Vita Leonis IX* triplex : quarum unam conscripsit Wibertus, ipsius in ecclesia Tullensi archidiaconus, libris duobus (1); alteram (quæ potius oratio panegyrica dicenda est) Bruno Signiensis episcopus (2); tertiam, ineunte seculo XII, Anonymus monachus Beneventanus, tum ex fontibus adhuc extantibus, tum ex aliis ignotis (3) : inter priores autem indicari speciatim potest narratio illa copiosa de ultimis diebus et morte Leonis, quam nomine totius cleri Romani statim post Pontificis obitum scripsit Libuinus subdiaconus (4). — β) Singularis etiam *Vita Gregorii VII,* quam anno 1128 absolvit Paulus Bernriedensis in diœcesi Augustana sacerdos (5), postquam in itinere Romam suscepto anno 1126, diligenter ad eam scribendam documentis colligendis operam dedisset (6).

57. III. His adjungi possunt (præter Pontificum epistolas et acta synodalia) : α) Scripta quædam apologetica in defensionem RR. PP. illius ætatis ab ipsorum coætaneis edita, ut Petri Damiani Epistolæ et Opuscula (7); Anselmi Lucensis (junioris) *Contra Guiber-*

(1) P. L. t. CXLIII. — Ap. Watterich, t. I. p. 127. De auctore et quibus subsidiis instructus scripserit et variantibus lectionibus cod. Bernensis adhuc inediti ibid. p. LXXXV-LXXXIX.

(2) P. L. t. CLXV. — Watterich, t. I. p. 95.

(3) Ex St. Borgia *Memorie storiche di Benevento* (Roma 1764), ap. Watterich, t. I. p. VIIC-C.

(4) P. L. t. CXLIII. p. 505 (minus integre) et ap. Watterich, t. I. p. 170.

(5) P. L. t. CXLVIII et ap. Watterich, t. I. p. 474.

(6) Cfr. Watterich, t. I. p. C-CIV.

(7) P. L. t. CXLIV.

tum antipapam pro defensione Gregorii VII libri duo (1); *Apologeticus* pro decretis Gregorii VII ad Ottonem Constantiensem directus (2); GEBHARDI Salisburgensis archiepiscopi Epistola ad Herimannum episcopum Mettensem pro Gregorio VII (3); Ludovici Comitis seu STEPHANI HALBERSTADTENSIS episcopi Epistola et ANSELMI CANTUARIENSIS Epistolæ adversus Schismaticos (4); GERHOHI Præpositi Reicherspergensis Syntagma de Henricis IV et V imperatoribus et Gregorio VII et aliis summis pontificibus (5); DEUSDEDIT Cardinalis *Libellus contra invasores et simoniacos et reliquos Schismaticos* (6). — β) Vitæ quorumdam iisdem pontificibus eorumque consiliis promovendis addictorum, ut *Mathildis* comitissæ Tusciæ, quam scripsit DOMNIZO presbyter (7); *Arialdi diaconi et Herlembaldi militis*, scriptore coævo (8); *Altmanni* episcopi *Pataviensis*, item ab anonymo coætaneo scripta (9); *Anselmi* episcopi *Lucensis* (junioris), quam statim post ipsius mortem scripsit BARDO ejus presbyter (10); *Be-*

(1) P. L. t. CXLIX.
(2) P. L. t. CXLVIII. — Apologeticus ille inscribitur BERNALDO.
(3) Ibid.
(4) Ibid.
(5) P. L. t. CXCIV.
(6) Ap. MAÏ, *Nov. PP. Biblioth.* t. VII. part. III.
(7) P. L. t. CXLVIII. — Melius ap. PERTZ, Scr. t. XII.
(8) Andrea Vallisumbroso. — P. L. t. CXLIII.
(9) Ap. PERTZ, Scr. t. XII. — Vita autem quam ex Gretsero edidit Migne P. L. t. CXLVIII, conscripta est extr. sec. XII a Ruperto abbate Gotwicensi.
(10) P. L. t. CXLVIII. — Accuratius ap. PERTZ, Scr. t. XII.

rengerii et Wirntonis abbatum Fombacensium, quam concinnavit GERHOHUS Reicherspergensis (1).

58. IV. Denique non pauca ex scriptis circa historiam magis generalem illius ætatis excerpta, speciatim ex Leonis et Petri Chronico Casinensi, ex Lamberti Hersfeldensis, Bertholdi et Bernoldi Annalibus, sub singulorum Pontificum nominibus rursus exhibentur a Watterich in opere jam sæpius hic citato (2).

§ 3. De scriptis circa historiam RR. PP. sec. XII.

59. Romanorum Pontificum seriem hic complectimur a Gelasio II (an. 1118) usque ad finem Pontificatus Cœlestini III (an. 1198). Horum omnium vel plurimorum vitas nobis exhibent quatuor collectiones quas edidit MURATORI (3), tamquam *ex ms. Pandulphi Pisani, ex ms. Nicolai Cardinalis Aragonensis, ex ms. Bernardi Guidonis* et ex *Amalrico Augerio* excerptas. De his, et præsertim de utraque priori, post recentiores Giesebrecht et Watterich labores, jam distinctius licet disserere.

60. Itaque *a.* Quam Muratori Pandulphi collectionem appellavit, eam esse quæ in codice Vaticano 3762 exhibetur, satis paulo supra expositum est. Itemque

(1) P. L. t. CXCIV.

(2) Et præterea etiam Leonis IX, Stephani X, Nicolai II, Victoris III et Urbani II tituli sepulcrales.

(3) *Script. Rer. Ital.* t. III. — V. Muratorii Prolegom. tom. cit. part. I. fol. 274.

Paschalis II et probabiliter etiam superiorum inde a Leone IX Pontificum scriptorem fuisse Petrum Pisanum. Jam trium illorum qui ex ordine Paschali II successerunt, Gelasii II scilicet (an. 1118-1119), Callixti II (1119-1124) et Honorii II (1124-1130), vitas re vera conscriptas esse a PANDULPHO (non Pisano tamen), ita conficit Watterich (1) :

« Gelasii II et Calixti II quidem vitæ auctorem suum apertis verbis produnt Pandulfum (2), Hugonis Alatrini cardinalis presbyteri nepotem (3), sub Paschali II ostiarium Lateranensem, nobilissima familia Romana ortum. Qui Pandulfus cum Gelasio II anni 1118. mart. 2. ex Urbe per Tiberim Caietam aufugit, ubi a Pontifice mart. 10. consecrato lector et exorcista factus est. Postea cum menses fere quatuor in Campania morati essent, julio 4. Pandulfus cum universa curia Romam rediit, Frangipanensibus autem Urbem fere totam occupantibus, Gelasium II in Galliam recedentem non secutus est, sed cum avunculo suo Hugone, cui Beneventi custodia commissa erat, in ea civitate permansit. Gelasio II Cluniaci mortuo, Pandulfus a Calixto II subdiaconus creatus est. Denique eum

(1) Tom. I. p. LI. — Vitæ autem hæ omnes (a Leone IX ad Honorium II) ex mss. codicibus accurate editæ sunt ibid. tt. I et II.

(2) « Ubi [Gelasius II] ... *me Pandulphum hostiarium, qui hæc scripsi,* in lectorem et exorcistam promovit. » *Vit. Gelasii II,* ap. WATTERICH, t. II. p. 99. — « Subdiaconos aliquot *meque Pandulphum* usque ad subdiaconum ipse [Callixtus II] promovit. » *Vit. Callisti II,* ibid. p. 117.

(3) Id et quæ sequuntur comprobat Watterich allatis testimoniis ex Gelasii II et Callixti II vitis.

offendimus inter Anacleti II [antipapæ an. 1130-1138] asseclas, cujus diplomatis duobus subscripsit : *Pandulphus cardinalis diaconus sanctorum Cosmæ et Damiani*. Hac dignitate non ante Anacletum II electum fruebatur; quare mirum non est quod exstincto schismate cardinalis, a Pontifice schismatico creatus, non amplius occurrit.

61. » Gelasii II vitam quo tempore Pandulfus scripserit, non desunt indicia quædam. Petrum Leonis *quondam famosissimum virum atque illustrem* [ab eo] vocatum reperimus. Qui Petrus Leo mortuus est anno 1130. Itaque Pandulfus tum, cum hanc vitam scribebat, jam erat schismaticus : id quod clarius etiam elucet iis ex verbis quibus acerrimum adversarium se Pontificis etiamtum superstitis et toto orbe accepti significat. De alio certe quam de Innocentio II cogitari nequit. Quæ cum ita sint, scriptor neque Frangipanensium facinora in Gelasium commissa temere nec inconsulto castigat, sed propterea quod Anacleti sui erant inimici. Anacleti autem inimici Frangipanenses, cum Innocentii II electioni favissent, ejusdem anni 1130. febr. 24. jam ad Anacleti partes transierant, quas secuti sunt usque ad annum 1133. Sequenti anno 1134. Anacletus eos iterum *perjuros suos* vocat, ex quo tempore non jam ad eum videntur transfugisse. Gelasii igitur vita post annum 1130. immo post annum 1134. vel certe 1133. animo in Frangipanenses irato conscripta est.

» Calixti II quoque vitam Pandulfus Rogero *rege*,

i. e. non ante annum 1130. immo post annum 1132. et ante annum 1139. litteris mandavit.

62. » Honorii II quidem vitæ Pandulfus non aperte se scriptorem fatetur. Sed plura sunt, quæ eum prodant auctorem. Hujus enim vitæ pars maxima in eo versatur, ut ad eligendum Honorium cardinales omnes turpi fraude permotos esse demonstretur. Quod cum satis indicet, scriptorem non catholicum esse, sed schismaticum, etiam manifestius Anacleti sectator eo cognoscitur quod Saxo cardinalis presbyter sancti Stephani, quem dicit Lamberti Ostiensis loco in sedem Apostolicam promoveri debuisse, per plures annos Anacleti fuit cancellarius. Cum vero Pandulfum sub Anacleto II tam Gelasii II quam Calixti II vitas scripsisse constet, non est cur alium de Anacleti amicis suspicemur hanc quoque vitam edidisse, cujus oratio cum Pandulfi dicendi genere prorsus convenit. Denique eodem in Frangipanenses odio accensus est hujus vitæ et Gelasii II scriptor, quare et ipsa post annum 1134 vel saltem 1133 scripta sit oportet. Neque prætereunda est ea, quæ Calixti II vitæ cum Honorii II est necessitudo, in qua scriptor de industria Petri Leonis in ecclesiam merita extollit et cujus verba : « et sic pacis pater *cum ipsa pace* recedit » scriptoris animum paratum indicant ad enarrandam quandam perturbationem. Quæ quidem perturbatio, in Honorii II electione facta, ab Honorii vitæ scriptore neglectis fere omnibus aliis inepta copiositate exponitur. Itaque cum tres vitæ idem partium studium, idem

præ se ferant dicendi genus, eandem prodant qua confectæ sint ætatem, neque credibile sit, eum, qui *Anacleti tempore ut Anacleti partes defenderet*, ad scribendas proxime superiorum Pontificum vitas, aggressus est, in Calixto II substitisse, opere *non usque ad Anacleti initia* absoluto, jure uni tribuimus et Gelasii II et Calixti II et Honorii II vitas, Pandulfo cardinali diacono schismatico. » Hactenus Watterich (cujus conclusioni libenter subscribimus).

63. Quas autem præter superiorum Pontificum vitas tamquam *ex ms. Pandulphi Pisani* edidit Muratori, vitæ *Innocentii II, Cœlestini II, Lucii II, Eugenii III, Anastasii IV, Hadriani IV* et *Alexandri III* (1), admodum breves sunt et jejunæ, ac omnino secundum eam, quæ in prima parte Libri Pontificalis exhibetur, formam (et quidem antiquiorem) conceptæ. Quod si quis eas per aliquem notarium curiæ quasi publice conscriptas dicat, non multum repugnabimus.

64. *b.* Jam de secunda collectione rursus Watterich (2) : « Quam Pontificum vitarum collectionem primus integram Muratorius edidit *Nicolai cardinalis Aragoniæ* nomine insignitam (3), viri eruditi omnes merito plurimi æstimaverunt. Quanquam enim de scriptoribus nihil constabat, is vero, qui in unum cor-

(1) *Scriptt. Rer. Ital.* tom. III. part. I. p. 433-446 passim. — Eas non edidit Watterich.

(2) Tom. I. p. LXXI sqq.

(3) *Scr. R. I.* t. III. part. I. p. 277 sqq.

pus eas collegisse videbatur, sæculo demum florebat decimo quarto (1), tamen ipsæ vitæ et dicendi genere et rerum gravissimarum copia se duobus sæculis ante, se ab æquali quodam vel a pluribus æqualibus conscriptas esse testabantur. — Jure igitur Baronius, qui maximam partem annalibus inseruit (2), coævis eas adscripsit. Sed accurate judicari de hac re tum demum potuit, cum codicum quæ esset inter se ratio et quæ cujusque ætas, exploratum esset.

» Exploratis autem primum a v. cl. G. H. Pertz Cencii camerarii codicibus archivi Vaticani (3), qui easdem vitas exhibebant, perspicuum erat, non solum exeunte jam sæculo XIII eas in Librum censuum Romanæ ecclesiæ esse relatas, sed etiam in exemplaribus fuisse paulo vetustioribus. Collato deinde textu Cenciano cum Nicolao de Aragonia apparebat, Nicolaum quosdam textus genuini locos ejecisse, verba mutasse, denique vitas non jam integras reddidisse.

65. » Relicto igitur omnino Nicolai textu, genuinam

(1) In codice archivi Vaticani n. 2594 et in Vaticano Ottoboniano n. 3078 leguntur hæc verba : « Præsentem librum (i. e. librum censuum cum vitis) » ordinavit et scribi fecit Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, » D. Fr. *Nicolaus cardinalis Aragoniæ*, quem compilavit ex diversis regis- » tris et ex libris cameræ Apostolicæ et ex aliis etiam libris et chronicis » diversis cum magna diligentia et labore. » — Recenset inde Watterich (p. LXXI. not. 4) codices collectionis illius Nicolai Aragonensis, numero 8. — Nicolaus Roselli, natione Hispanus, O. P., natus an. 1314, cardinalis factus an. 1351, obiit an. 1362.

(2) Eam collectionem sæpe citans sub titulo *Acta Vaticana*.

(3) Cfr. *Archiv der Gesellsch. für ältere Deutsche Geschichtskunde*, t. V. p. 89-100.

collectionem, qualem *Cencii* codices præbent, consideremus.

» Ac primum quidem in libro censuum, qualem Cencius, Romanæ ecclesiæ camerarius anno 1192 componere cœpit (1), præter catalogos Pontificum Romanorum duos, quorum alter usque ad Cœlestinum III, alter ad Eugenium III perductus erat, vitarum reperimus nihil. Antiquissimum autem apographon, cujus nacti sumus notitiam (2), scriptum Urbano IV Pontifice inter annos 1261-1264, vitas

(1) Quo consilio *Liber censuum Romanæ ecclesiæ* a Cencio camerario quod munus an. 1188 suscepit, an. 1198 ineunte deposuit) compositus sit, ipse Cencius in exordio aperit (Codex Cencii autographus, Vaticanus n. 8486) : « Incipit Liber censuum Romanæ ecclesiæ, a Cencio camerario » compositus, secundum antiquorum patrum regesta et memorialia diversa, » anno incarnationis Dominicæ MCXCII. Pontificatus Cœlestinî Papæ III » a. II. — Ecclesiæ Romanæ censuum opus jam retroacto tempore quibus» dam aliis ordinatum, cur reordinare opus fuerit et necesse, Ego Centius, » quondam felicis recordationis Clementis Papæ III, nunc vero domni » Cœlestini Papæ III camerarius, sanctæ Mariæ Majoris Urbis canonicus, » breviter et aperte respondeo : quod cum fel. mem. Eugenius (III) primo » et Adrianus Papa successor ipsius et quidam alii deinde quædam memo» rialia, semiplena tamen nec authentice scripta seu ordinata, in scriptis de » censibus redegissent, et posteri sive successores eorum per memorialia » ipsa, quæ ecclesiæ vel monasteria, hospitalia seu domus eleemosynariæ, » quæ etiam civitates, castella, villæ vel domus speciales, seu qui reges aut » principes in jus et proprietatem beati Petri et sanctæ Romanæ ecclesiæ » persistentes, censuales essent vel quantum deberent persolvere, instrui » plenarie non valerent, ... census ipsos, sicut in tomis charticiniis et » voluminibus regestorum antiquorum Pontificum Romanæ ecclesiæ et » modernorum et aliorum librorum quorumdam seu memorialium vera» cium inveni, ... in quantum facultas permisit, ut inferius annotabitur, » insignivi. » Ap. WATTERICH, p. LXXIII. not. 1.

(2) Per conjecturam scilicet : nam antiquissimus codex (Vatic. n. 2526) *circa annum* 1280 conscriptus hoc ipso loco legitur.

habet (Stephani VI) Leonis IX—Gregorii IX (1). Quod unde descriptum fuerit, accurate jam definiri nequit.

66. » De harum igitur vitarum conditione primum ut in universum dicamus, fragmentum quod est de Stephano VI—Gregorium VII, nihil aliud est quam postrema pars catalogi Pontificum a Bonizone nostro in Decreti libro IV (2) proposita. Qui sequitur Johannes XII, maximam partem cum Bonizonis ad Amicum libri IV verbis... convenit. Qui sequuntur Pontifices Leo IX—Gregorius VII, omnes ex Bonizone ad Amicum repetiti sunt (3).

» Cum prima pars non sit novi scriptoris opus, accedamus ad Paschalem II. Sed neque in eo quidquam occurrit præter annales quos novimus Romanos et Paschalis II registri fragmenta. Gelasii II et Honorii II vitæ paucis mutatis ex Pandulfo nostro haustæ sunt (4).

(1) Ita scilicet (quod ex accuratiori descriptione codicum mox subsequenti apparet) ut post Alexandri III († 1181) vitam, septem sequentibus Pontificibus omissis, sola Gregorii IX (an. 1227-1241) in illa collectione habeatur.

(2) Cfr. inter opera Bonizonis P. L. t. CL.

(3) Itaque e conspectu locorum parallelorum ex libris Bonizonis illas vitas edidit Watterich tom. I.

(4) Imo, ni vehementer fallor, vix aliquid commune quoad vitas Gelasii II, Callixti II et Honorii II in utraque collectione assignari potest præter ea quæ necessario etiam a maxime diversis scriptoribus de iis Pontificibus commemoranda erant. Itaque probabilius videtur ea quæ in iis vitis, quales in collectione Cencii seu Nicolai Aragonensis prostant, narrantur, sicut et quæ in reliquis vitis usque ad Eugenium III, desumpta esse ex Regestis Pontificiis.

67. » Eorum qui reliqui sunt Pontificum (1) sola *Hadriani IV* vita insignita est nomine scriptoris. His enim verbis terminatur : *Actum* Bosonis *presbyteri cardinalis tituli Pastoris, qui ab ipso Pontifice ab exordio sui Apostolatus ejus camerarius constitutus et in ecclesia sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus ordinatus, assidue usque ad ipsius obitum familiariter secum permansit.*

68. » At qui Hadriani IV vitam scripsit, substititne hoc opere confecto, an Alexandri quoque vitam aggressus est? Et quis vitas edidit superiores? Has ad res penitus cognoscendas ut viam nobis muniamus, de Bosonis vita quærendum est.

» Bosonem, æque ac Hadrianum IV, natione Anglum fuisse, licet disertis verbis nusquam legamus affirmatum, plura tamen innuunt indicia....

» In curia Romana primum nobis Boso occurrit Eugenio III Pontifice anni 1149. nov. 6... Scriptoris Apostolici munus ab Eugenio mandatum (2) per totum ejus Pontificatum gessit neque prius dimisisse videtur quam a populari et amico Hadriano IV statim anno 1154. cameræ Apostolicæ præficeretur et cardinalis crearetur diaconus sanctorum Cosmæ et Damiani... Anno (1158) exeunte legationem suscepit in

(1) Innocentii II scilicet (an. 1130-1143), Cœlestini II (1143-1144), Lucii II (1144-1145), Eugenii III (1145-1153), Anastasii IV (1153-1154), Hadriani IV (1154-1159), Alexandri III (1159-1181) (non integra. — Cfr. infra N. 69), et Gregorii IX (1227-1241).

(2) Cfr. Jaffé, *Reg. RR. PP.* p. 616.

Angliam... Ineunte anno sequenti redux, usque ad obitum Hadriani IV, id est usque ad sept. 1. *cum eo familiariter permansit.* Quo facto cum imperatoris Friderici partes et dolo et vi majorem partem cardinalium eo adducere vellent ut Octavianum eligerent Pontificem, Boso strenue Rolandi partes tuebatur [qui mox 7 sept. electus est et nomen assumpsit Alexandri III] .... Ex hoc tempore Boso fidelissimus Alexandri III fuit et laborum et eventuum socius. Cum ipso Roma aufugit, anno 1162. per urbem Januam in Galliam migravit, anno 1165. per Montempessulanum rediit et a Pontifice presbyter cardinalis sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris creatus est. Anno 1167. cum Alexandro ex Urbe Beneventum evasit, anno 1170. in Campaniam descendit ibique cum Alexandro III moratus est. Composita deinde pace Anagnina (a. 1176.) et constituto conventu Venetico, Boso cum Alexandro III exeunte anno 1176. Anagniam reliquit ut Venetiam proficisceretur... Venetiis Boso cum Pontifice fuit usque ad mensem Octobrem, quo per mare Hadriaticum reversi, anno 1178. mart. 12. in urbem et postridie in Lateranum pervenerunt (1). Sed non diu Bosoni contigit, ut victoria et pace ecclesiastica frueretur. Nam post ejusdem anni junium 19. Bosonis nomen in documentis Pontificiis non jam reperitur : ex quo patet eum anno 1178. medio, postquam fere per triginta

(1) Hæc Bosonis itinera colligi indicat Watterich ex epistolis Alexandri III, quibus et ipse subscripsit (Ap. Jaffé nn. 7169, 7189, 7263, 7488, etc. Ultima n. 8593).

annos sanctæ Sedi operam navavit, diem supremum obiisse.

69. » Jam si consideraverimus, Alexandri III vitam ab uno e cardinalibus, qui Pontificem in itinere maritimo comitati sunt Venetias, conscriptam, de rebus omnibus judicium in vitis Hadriani IV et Alexandri III et *dictionem eandem*, has præterea vitas nunquam non in eodem codice deprehendi, Alexandri III denique vitam *eo ipso tempore, quod Bosonis vitæ extremum erat, intermitti* : profecto fatendum erit, Alexandri quoque vitæ scriptorem esse Bosonem.

70. » Verum non modo de Alexandri III vita hæc valet sententia. Universæ collectionis hujus partes dicendi genere et sermone unum scriptorem ostendunt cum Hadriani et Alexandri vitis. Quidquid enim in vitis Leonis IX-Gregorii VII non est Bonizonis, Bosonem sapit. At si Boso primam et extremam partem in libri Pontificalis formam redegit, fieri non potest, quin mediam quoque operi suo ipse addiderit. »

71. Hactenus Watterich. Ceterum easdem conclusiones circa Petrum Pisanum scriptorem vitæ Paschalis II et aliarum quæ hanc præcedunt in codice Vaticano 3762, Pandulphum Gelasii II, Callixti II et Honorii II, ac denique Bosonem earum quæ in collectione nomine *Cencii camerarii* vel *Nicolai Aragonensis* inscripta habentur usque ad Alexandri III, jam statuerat Giesebrecht (1). — Porro eas omnes vitas

(1) In dissertatione citata supra pag. 198 not.

simul collectas, post Muratorium (1), recentius novis curis et e pluribus codicibus edidit Watterich (2).

72. *c.* Jam de collectione Bernardi Guidonis. Fuit Bernardus Guidonis (3) patria Lemovicensis, in vico Roëria prope Rupem Apis (4) natus circa annum 1260. Anno 1279, Prædicatorum ordini nomen dedit, ubi insignibus muneribus functus, anno 1308 Inquisitor hæreticæ pravitatis, deinde anno 1323 episcopus Tudensis in Gallæcia creatus est et anno sequenti ad Lodovensem sedem in Gallia Narbonensi translatus. Obiit anno 1331 (5). — Multa scripsit, pleraque adhuc inedita (6). Inter quæ præcipue citatur compilatio quæ inscripta est *Flores chronicorum,* ubi habentur vitæ illæ quas ediderunt Baluzius (7) et Muratori (8). Ipse autem auctor in præfatione sua indicat se eas excerpsisse ex diversis chronicis (9). Porro, si Baluzium au-

(1) Cfr. supra N. 59.

(2) In opere supra indicato pag. 240. not. 2 et hic sæpius citato.

(3) Guidonis filius scilicet, non Bernardus de Guionia, ut quidam recentiores eum appellarunt.

(4) *La Roche-Abeille.*

(5) Hæc habentur ex brevi notitia (coæva, ut videtur) vitæ Bernardi, edita apud Labbe, *Nov. Bibl. Mss.* tom. II et apud Quetif et Echard, *Scriptor. Ord. Prædic.* t. I. p. 576. Quædam etiam de se notavit Bernardus passim in opusculis suis (*Script. Ord. Præd.* tom. cit. p. 577).

(6) Cfr. ibid.

(7) Inter *Vitas Paparum Avenionensium* (Paris 1693. 2 vol. 4) tom. I.

(8) *Script. Rer. Ital.* t. III. part. I.

(9) Quum hæc præfatio edita non sit, quædam ex ea citamus quæ ex mss. codd. gallice protulit de Bréquigny (*Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du Roi,* t. II. p. 7). Sic igitur ille : Donnons maintenant une idée du plan et du but de la chronique que j'examine [*Flores Chronicorum*] : je me servirai pour cela des propres paroles de l'auteur ; c'est ainsi qu'il s'exprime

diamus (1), istarum [vitarum] duæ fuerunt antiquitus editiones (2), una prolixior, altera brevior, quasi quidam manualis libellus, ut ait auctor in codice 735 bibliothecæ Colbertinæ, in cujus præterea margine hæc scripta sunt antiquitus : *Primum opus respectu istius secundi dicitur præcedens catalogus Pontificum Romanorum seu flores chronicorum, ubi singula de Romanis Pontificibus et Imperatoribus et Regibus Francorum latius describuntur, in præsenti vero opusculo breviter et succincte.* » — Quod autem ad auctoritatem hujus compilationis spectat, saltem in vitis Pontificum seculi XII, facile constat hanc auctoritatem non esse diversam a chronicis ex quibus auctor eas hauserit : ac proinde hoc solum commodi inde

dans la préface : « Curieux de connaître les noms des Papes, la durée de leurs » pontificats et les événemens remarquables qui se sont passés de leur » temps, j'ai cherché à m'en instruire dans les histoires, dans les chroni- » ques, dans les vies des Saints ; mais, voulant m'assurer de la vérité de » chaque chose, j'ai remarqué un grand et beaucoup trop grand nombre de » différences et de contradictions, soit sur les dates, soit sur les faits. Ces » différences viennent le plus souvent de la faute des copistes ; mais elles » sont aussi quelquefois dans les opinions et les récits. Lorsqu'elles m'ont » embarrassé, j'ai pris le parti qui m'a paru le plus sûr : je n'ai point la » témérité de décider ; mais lorsque presque tous les auteurs dignes de foi » s'accordent sur un fait, je me conforme à leur témoignage ; quand ils » diffèrent, je rapporte leurs sentimens, et je laisse le choix aux lecteurs... » C'est une chronique que j'écris... je l'ai extraite des livres les plus authen- » ques que j'ai pu rencontrer, et je crois par conséquent pouvoir l'intituler » *Fleurs des chroniques*, ou si on l'aime mieux, *Catalogue des pontifes* » *Romains.* »

(1) *Vit. Pap. Aven.* tom. I. Præf. extr.

(2) Certe tres editiones *Florum Chronicorum* indicat de Bréquigny, Loc. cit. p. 5.

habetur quod per illam forte nobis servata sunt quædam ex chronicis deperditis (1).

73. *d.* Restat quarta collectio, Amalrici Augerii, de quo Muratori : « Fuit Amalricus Augerii Biterrensis patria, Prior monasterii Sanctæ Mariæ de Aspirano ordinis Sancti Augustini, Decretorum Doctor in Academia Montispessulanæ civitatis, et capellanus Urbani V Papæ, cui hoc ipsum opus (2) dicavit. Quare statim agnoscis, eumdem floruisse anno Christi 1365, quamquam Pontificia illius historia perducta usque ad Johannem XXII S. P. non excedat ultra annum 1321.... Unum superest, de quo sine ulla dissimulatione monitum lectorem volo. Quæcumque Amalricus de Romanis Pontificibus congessit fere usque ad tempora Innocentii III Papæ, nullius momenti sunt atque in nullum eruditæ gentis commodum cedere possunt. Nimirum nihil non nobis antea notum, et a præstantioribus certe scriptoribus petendum, ille per tot secula exhibet. Quæ vero is addit, aut inepta sunt aut ex infelici fabularum regno in opus suum derivata, qualia continuo agnoscas inter alia Cyriacum papam, Johan-

(1) Quod autem post brevem Innocentii III vitam subdit Bernardus : « Huc usque Chronica Richardi monachi Cluniacensis protenditur et terminatur; » et post vitam Joannis XXI : « Huc usque Chronica Martini Poloni... protenditur et finitur, » inde non recte concluderetur hæc duo sola vel præcipue ab ipso exscripta fuisse Chronica : ut facile constat ex collatione compilationis Bernardi cum catalogo Pontificum quem concinnavit Richardus (edit. ap. Muratori, *Antiq. Italic. medii ævi*, t. IV. p. 1103-1112) et cum Chronico Martini (ap. Pertz, Scr. t. XXII).

(2) Quod inscriptum est *Actus Romanorum Pontificum* (inde a beato Petro).

nam Papissam, Sylvestrum II magiæ addictum, ut complura alia præteream (1). »

74. Extra has collectiones nullæ illius seculi Pontificum habentur vitæ singulares (2). Quæ enim leguntur apud Muratorium *ex ms. Bibliothecæ Ambrosianæ* perbreves Gregorii VIII, Clementis III et Cœlestini III (3) non sunt nisi laciniæ Chronici Martini Oppaviensis sive Poloni (4). Præterea tamen, quoad hanc ætatem, aliquatenus loco fontium adhiberi possunt ea quæ edita sunt sub titulis catalogorum Viterbiensis, Tiburtini et Casinensis (5). Denique et quæ in Annalibus et Chronicis circa historiam Pontificiam hujus ætatis leguntur, rursus collegit Watterich (6).

§ 5. De scriptis circa historiam RR. PP. sec. XIII.

75. I. Præter collectiones jam citatas Bernardi Guidonis et Amalrici Augerii de Biterris, habentur aliæ quædam minores scriptorum coævorum vel supparium, Martini Oppaviensis seu Poloni, Riccobaldi Ferrariensis et Leonis Urbevetani. Quibus adjungi

(1) *Scriptt. Rer. Italic.* t. III. part. II. p. 3. — Totum opus Amalrici Augerii in eodem tomo editum est.

(2) Hujusmodi tamen haberi potest, quoad Innocentium II, Arnulfi archidiaconi Sagiensis, deinde (ab an. 1141) episcopi Lexoviensis, *In Girardum Engolismensem invectiva de schismate Petri Leonis* seu *Tractatus de schismate orto post Honorii II papæ decessum* (Ex Dacherii *Spicilegio* ap. Muratorium, tom. cit. p. 423, ap. Pertz, Scr. t. XII. p. 707, et ap. Watterich, *Pontt. Rom. Vit.* t. II. p. 258).

(3) Tom. cit. pp. 478, 479, 480.

(4) De quo dicetur § seq.

(5) Ap. Pertz, tom. cit.

(6) Op. cit. t. II passim.

possunt *Continuatio Catalogi Casinensis* et *Chronica Romanorum Pontificum* seu Historia Ecclesiastica Ptolemæi Lucensis (1). De singulis pauca distinctius subjungenda.

76. *a.* Nullum ultimis medii ævi temporibus magis celebre fuit et omnium manibus tritum quam Chronicon universale Pontificum et Imperatorum Romanorum usque ad annum 1277, cujus auctorem Martinum, ordinis Prædicatorum, pœnitentiarium et capellanum pontificium fuisse, ex ipsius operis præfatione (2) discimus. Cognomine appellatus est Polonus, non tamen, ut videtur, quod Polonia oriundus esset : nam illum Oppaviam (Troppau) in Bohemia patriam habuisse jam ex recentioribus disquisitionibus satis constat (3); sed quia archiepiscopus metropoleos Poloniæ obiit vel, ut alii arbitrantur, quod domus ordinis Prædicatorum in regno Bohemiæ constitutæ usque ad annum 1301 ad provinciam Poloniæ pertinuerunt. Habitum monachalem induit Martinus in domo ordinis Pragensi quæ sancto Clementi dedicata erat, ibique sacerdotalem consecrationem accepit et magistri, theologiæ nimirum, titulo decoratus est. Munus inquisitoris pontificii eum gessisse concluditur ex eo quod Martinus quidam

(1) Præterea citari hic posset Theodoricus de Niem, in cujus Chronico Pontificio (Cfr. infra N. 96) leguntur vitæ trium ultimorum hujus seculi Pontificum, Nicolai IV scilicet, Cœlestini V et Bonifacii VIII.

(2) Ap. Pertz, Scr. t. XXII. p. 397.

(3) Cfr. Lud. Wieland Prolegom. ad Martini Chronic. ap. Pertz. tom. cit. p. 377. Ubi etiam (p. 378-379) testimoniis comprobata reperies quæ de Martini historia hic subjungimus.

inter inquisitores a Sede apostolica olim ad S. Clementem institutos inveniatur, An antequam Romam migraverit in alio conventu ordinis sui versatus sit, non pro certo compertum habetur. Quo tempore autem Romam pervenerit, quis Pontificum Romanorum eum primus pœnitentiarium et capellanum fecerit, prorsus ignoratur. Certo jam sub Clemente IV († 29 Nov. 1268) muniis istis functus est, quum jam in operis sui exemplaribus scriptis post obitum Clementis, sed ante electionem Gregorii X (1 Sept. 1271), titulos pœnitentiarii et capellani pontificii sibi vindicet. Quæ munia sub sequentibus quinque Pontificibus, Gregorio X scilicet, Innocentio V, Hadriano V, Joanne XXI, Nicolao III, continenter gessit. Quum autem sedes Gnesnensis in Polonia vacaret, canonicis jam per aliquot annos de electione litigantibus, sedi demum providit Nicolaus III, qui anno 1278 Martinum nostrum archiepiscopum creavit Gnesnensem, ut testatur bulla hoc anno die 22 mensis Junii Viterbii data. Sed priusquam Martinus ad sedem suam pervenit, eodem anno 1278 mortuus est et Bononiæ sepultus. — Eorum vero qui eum archiepiscopum Consentinum vocarunt error ortus videtur ex falsa verborum Ptolemæi Lucensis distinctione, qui fontes suos enumerans sic loquitur : *Fr. Martinus Polonus ordinis fratrum Prædicatorum, archiepiscopus Cusentinus...*, duas certe personas significans. Primus in hunc errorem incidisse videtur auctor Ptolemæo fere coævus, Landulfus de Columna, canonicus Carnotensis : quem alii multi secuti sunt.

77. Admodum male audit Martinus apud recentiores eruditos Germanos (1). Et quidem quod ad antiquiora tempora spectat, facile concedi potest Chronicon Martinianum indigestam satis compilationem esse. At nulla apparet ratio cur fides ei denegetur circa ea quæ paulo fusius narrat de Pontificibus sui temporis, quorum utique acta facilius per se nosse potuit, præsertim si, ut in quodam codice notatur (2), jussu Clementis IV opus suum aggressus sit. — Et eadem auctoritas tribuenda videtur continuationi historiæ Pontificiæ Martini, quam alter quidam auctor coævus, et ipse aliquo officio in Romana curia fungens, usque ad annum 1288 perduxit (3).

78. ***b.*** Ad eumdem circiter annum pertingit brevis recensio historiæ Pontificiæ seculi XIII, quam sub titulo *Continuationis Catalogi Casinensis* edidit Pertz (4).

79. ***c.*** Nec alio quam Catalogi nomine digna est altera ejusdem historiæ recensio usque ad Bonifacium VIII, quam initio seculi XIV conscripsit Riccobaldus Ferrariensis, Canonicus Ravennas (5), neque copia scilicet neque accurata indagatione rerum conspicua.

(1) Cfr. Pertz, tom. cit. p. 381.

(2) Cfr. ibid. not. 49.

(3) Ed. ap. Pertz, tom. cit. p. 476-482.

(4) Tom. cit. p. 362-364. — Cui adjungi potest *Continuatio Laudunensis* Catalogi PP. RR. Gotifredi Viterbiensis (usque ad an. 1274), edita ibid. p. 370-371.

(5) Ed. ap. Muratori, *Scr. Rer. Ital.* t. IX.

80. ***d.*** Sub exordium etiam seculi XIV floruisse videtur scriptor alius Chronici Romanorum Pontificum usque ad Clementem V perducti, Leo scilicet, patria, ut ipse in suo proœmio refert, Urbevetanus, professione vero monachus ordinis Prædicatorum. Is Martini Chronicon, ut rursus in suo proœmio profitetur, excerpsit, nonnulla tamen identidem ex aliis scriptoribus vel etiam de suo interserens. Ceterum quam parum accurate et critice inquisierit etiam in vitas Pontificum sibi ætate proximorum, vel ex vitis Cœlestini V et Bonifacii VIII liquido apparet, ubi scilicet nonnisi ea narrat quæ omnibus maxime nota esse oportebat, et quidem prout populari rumore per Bonifacii VIII inimicos disseminato ferebantur (1).

81. ***e.*** At jure merito in longe majori pretio habetur, saltem quod ad postremam partem seculi XIII spectat, Historia Ecclesiastica seu RR. PP. conscripta a Ptolemæo (2) de Fiadonibus, patria Lucensi, ordinis item Prædicatorum. Qui natus circa annum 1236 et ab anno 1288 præcipuis quibusdam muneribus sui ordinis functus, a Joanne XXII (S. P. an. 1316-1334), cui a confessionibus fuisse traditur, episcopus Torcellianus (in ditione Veneta) creatus est; in quo munere obiit anno, ut videtur, 1327 (3). Quibus fontibus in his-

(1) Leonis *Chronica Summorum Pontificum* integra edidit J. Lami in tomo II collectionis quæ ab ipso inscripta est *Deliciæ eruditorum.*

(2) Seu potius Bartholomæo, quod nomen per syncopen non infrequentem apud Italos, in Tolomæum et postea in Ptolemæum mutatum est.

(3) Hæc omnia diligentius digesta videsis in Præfatione Muratorii *Scr. Rer. Ital.* t. XI. p. 743 sqq.

toria sua conscribenda usus sit, ipse diligenter indicat in epistola dedicatoria ad Guillelmum de Baiono Cardinalem huic historiæ præmissa (1) : qui fere adhuc exstant. Præterea vero libris V et VI memorat peregrinationes in longe positas provincias, Gallias præcipue, a se non semel susceptas ad exploranda archiva illarum regionum. Denique et a nonnullis fertur aliquamdiu Præfectus fuisse Bibliothecæ Vaticanæ. Itaque spernenda non est ejus auctoritas, præcipue ubi ad suæ ipsius ætatis historiam tractandam accedit. Quæ pars ejus operis continetur libris XXIII et XXIV (2), quamvis forte hic postremus, qui vitas Bonifacii VIII et Clementis V complectitur, et certe ultima capita libri XXIII, ubi historia Pontificia protrahitur usque ad obitum Benedicti XII seu annum 1342, non ipsi Ptolemæo, sed continuatori vel continuatoribus ejus adscribenda sint (3).

82. *f.* Simile aliquid dicendum est de auctoritate Bernardi Guidonis (4) quoad historiam illorum temporum suo propiorum et circa quam non paucas notitias ex testibus coævis et oculatis, quibuscum familiariter versatus est, colligere potuit.

83. *g.* Imo et de Amalrico Augerio (5) qui, licet

(1) Ap. Muratori, tom. cit. p. 752.

(2) Ibid. p. 1165-1242.

(3) Id quoad vitas Pontificum post Clementem V diserte indicatur in clausula codicis Patavini (ibid. p. 1241).

(4) De quo cfr. supra N. 72 (pag. 261).

(5) De quo cfr. supra N. 73 (pag. 263).

ætate quinquaginta fere annis posterior, tamen, ut notat Muratori (1), « a temporibus Innocentii III Papæ usque ad finem sui operis egregium se fidumque historicum præbet, multaque exerit, e quibus ecclesiastica historia illustrari possit. »

84. Quas autem vitis Pontificum hujus seculi a Bernardo Guidonis conscriptis vitas subjunxit Muratorius *ex altero Ms. Bibliothecæ Ambrosianæ* (2), eæ omnes, præter forte duas ultimas, Honorii IV scilicet et Nicolai IV, desumptæ sunt ex Martino Polono ejusque continuatore. — Chronicon vero Matth. Spinelli de Juvenatio, quod ad historiam Innocentii IV et trium sequentium Pontificum refert Papebrochius (3), facile constat imperatorium potius quam pontificium reputandum esse.

85. II. Jam de vitis particularibus. Ubi ***a.*** primo occurrunt copiosa illa *Gesta Innocentii III* ab auctore coævo conscripta et jam sæpius edita (4).

86. ***b.*** Hic etiam indicanda venit *Vita Gregorii IX* (S. P. an. 1227-1241), quam solam post vitam Alexandri III in collectione Nicolai Aragonensis reperiri supra (5) notavimus. Hæc non relato Pontificis obitu

(1) *Scr. Rer. Ital.* t. III. part. II. p. 4.

(2) *Scr. Rer. Ital.* t. III. part. I. p. 570-613 passim.

(3) *Conat. Chron.-Hist.* (in Propylæo Maii) Part. II. p. *40-*49. — Item ap. MURATORI, *Scr. Rer. Ital.* t. VII. p. 1089.

(4) Speciatim a BALUZIO cum *Epist. Innocentii III*, a MURATORIO *Scr. Rer. Ital.* t. III. part. I. p. 486, a BREQUIGNY et DU THEIL inter *Docum. ad res Francic. spect.* t. I. — Inde P. L. t. CCXIV.

(5) Pag. 257. not. 1 et pag. 258. not. 1.

abrupta est, et auctorem ejus coævum vel illud comprobat quod non semel, ubi de viris loquitur qui ultimo anno Gregorii adhuc in vivis agebant et de eorum moribus et conversatione, præsentis temporis forma utitur. Præterea ex copiosa Pontificis itinerum et cæremoniarum quibus interfuit descriptione, facile conjicitur eumdem fuisse clericum Romanæ curiæ addictum. Sed et ex exordio hujus lucubrationis (1) probabiliter concludere licet eam publice vel quasi publice fuisse conscriptam.

87. Habentur præterea **c.** *Vita Innocentii IV* (S. P. an. 1241-1254) (2) conscripta a Nicolao de Curbio seu Anglico, ordinis Minorum, qui Pontifici a confessionibus fuit (3) et ab eodem episcopus Assisinas creatus (4).

88. ***d.*** *Vita Gregorii X* (S. P. an. 1271-1276) ab auctore anonymo ante finem seculi XIII, ut videtur, composita (5). — Et *B. Gregorii Papæ X vitæ, virtutum ac miraculorum Relatio* facta Urbano VIII per S. Rotæ auditores, ad effectum canonizationis ejusdem (6).

89. ***e.*** *Acta Martini IV* (S. P. an. 1281-1285), quæ

(1) « Venerabilium gesta Pontificum archivis sunt mandanda fidelibus, ut » ea digesta per ordinem, lectorum studia in vota gratiarum exerceant, et » capiat de priorum moribus secutura posteritas vitæ felicioris exemplum. » Ap. Muratori, *Scr. Rer. Ital.* t. III. part. I. p. 575.

(2) Ed. ap. Baluzium, *Miscellan.* (ed. Mansi) t. I. p. 194 et ap. Muratori, *Scr. Rer. Ital.* t. III. part. I. p. 592.

(3) Ut ipse testatur in fine hujus scriptionis.

(4) Cfr. Wadding, *Annal. Minor.* t. III. p. 344 (ad an. 1254. n. XIX).

) Ed. ap. Muratori, tom. cit. p. 599.

(6) Ed. ad calcem Historiæ Gregorii X, quam italice evulgavit A. M. Bonucci Romæ 1711. 4.

Papebrochius (1) Jordano cuidam tribuit, quia quædam verba tamquam Jordani citantur apud Raynaldum quæ in his actis leguntur, jam monuimus eadem esse quæ habentur in Continuatione Chronici Martini Poloni (2). — Et forte etiam ejusdem vel alterius continuatoris operis Martiniani sunt vitæ *Honorii IV* (S. P. an. 1285-1287) et *Nicolai IV* (S. P. an. 1288-1292), quas ex eodem codice, ubi illa acta reperit, edidit Muratori (3).

90. *f. Cœlestini V* (S. P. an. 1294) historia quadruplex,, videlicet : α) *Vitæ* ejus *eremiticæ initia* ab ipso descripta, una cum aliis quibusdam documentis electionem ejus ad papatum, abdicationem et canonizationem spectantibus edita a Papebrochio (4). — β) Quæ circa eam historiam tum brevius soluta oratione, tum prolixius metrice scripsit Jacobus Cajetanus de Stephaneschis (5), S. Georgii ad Velum aureum Cardinalis Diaconus, quem perperam quidam Bonifacii VIII cognatum putarunt (6), a Cœlestino V ad ecclesiastica munia promotus, deinde a Bonifacio VIII sacro Cardinalium collegio adscriptus. Scripsit autem post mortem Clementis V (7) seu anno circiter 1315, « ex

(1) *Conat. Chron.-Hist.* (in Propylæo Maii) p. *61 : ubi ea edita reperies.

(2) Cfr. supra N. 84.

(3) *Scr. Rer. Ital.* t. III. part. I. pp. 612, 613.

(4) *Act. SS.* tom. IV Maii p. 422-436.

(5) Ed. *Act. SS.* tom. cit. p. 437 sqq. et novis curis ap. Muratori, tom. cit. p. 613 sqq.

(6) Quum tamen ipse Jacobus in Præfatione sua perspicue ortum suum et parentes indicet (*Act. SS.* tom. cit. p. 438. n. 6).

(7) Ibid. n. 7.

veridica re, veluti præsens, videns, ministrans, palpans et audiens, notusque Pontifici, quin Pontificibus carus » (1). — γ) *Vita Cœlestini V*, auctore Petro DE ALLIACO (d'Ailly) (2), qui ex Aniciensi Cameracensis episcopus factus, anno 1411 creatus est Cardinalis. Scripsit vitam S. Petri Cœlestini rogatus a Cœlestinis Parisiensibus, quibuscum ei vetus erat familiaritas, idque, ut in Præfatione libri II ipse testis est (3), præcipue secundum traditiones quæ apud eos vigebant. — δ) *De vita et miraculis S. Petri de Murrone, quondam Cœlestini Papæ V* : ex quo opere, italice concinnato sub annum 1519 per D. LELIUM MARINUM, Congregationis Cœlestinæ Abbatem Generalem, supplementum ad vitam illius Sancti latine dedit Papebrochius (4), hoc præmisso elogio (5) : « Hic siquidem diligentissimus auctor, præcipuorum suæ Congregationis monasteriorum archiva perscrutatus, non solum præ oculis habuit fideliterque allegavit auctores, quotquot ante eum de Sancto egerunt, sed etiam processum canonizationis ejusque summarium, et inde ipsis pene testium deponentium verbis singula expressit quæ ad historiam præsentem faciunt, curiosus observator circumstantiarum etiam minimarum, loca, tempora personasque spectantium » (6).

(1) Ibid. p. 437.
(2) *Act. SS.* tom. cit. p. 484 sqq.
(3) Ibid. p. 489.
(4) Ibid. p. 498.
(5) Ibid. p. 420. n. 5.
(6) Adde opusculum Ægidii de Columna, de quo Num. seq.

91. ***g.*** Denique circa historiam *Bonifacii VIII* non pauca documenta *α*) jamdudum protulerunt liber cui titulus *Acta inter Bonifacium VIII, Benedictum XI, Clementem V summos Pontifices, et Philippum Pulchrum regem Francorum* (1); Petrus du Puy in appendice ad opus suum de controversiis inter Bonifacium VIII et Philippum IV regem (2); Adrianus Baillet in appendice ad librum suum circa idem argumentum (3); Martene et Durand *Thesauri Novi Anecdotorum* tom. I (4).

β) Præterea recens in lucem prodierunt quædam hucusque inedita, quæ publici juris fecerunt eruditi viri Edg. Boutaric (5), Kervyn de Lettenhove (6) et Natalis de Wailly (7).

(1) Ed. a Fr. Pithæo (Trecis) 1613. 12 et (Parisiis) 1614. 8.

(2) *Histoire du differend entre le Pape Boniface VIII et le roi Philippe le Bel.* Paris 1655. fol.

(3) *Histoire des démeslez du Pape Boniface VIII avec Philippe le Bel roi de France.* Paris 1718. 12.

(4) P. 1286 sqq. et p. 1319 sqq. — Nihil autem præter ea quæ reperiuntur in libris modo citatis exhibet *Fasciculus actorum pertinentium ad controversiam inter Bonifacium VIII et Philippum IV regum Galliæ* ap. Leibnitz, *Mantissa codicis juris gentium diplom.* Hanoveræ 1693. — Sed Cfr. *Catalogus Chartarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ* confectus anno 1366, ap. Muratori *Antiquit. Italiæ med. ævi*, t. VI. p. 75.

(5) *Documents relatifs à l'histoire de France sous Philippe-le-Bel* (In *Notices et extraits des Manuscrits*, etc. t. XX. part. II. p. 83).

(6) *Recherches sur la part que l'ordre de Citeaux et le comte de Flandre prirent à la lutte de Boniface VIII et de Philippe le Bel.* Mémoire présenté à l'Académie royale de Bruxelles le 4 Avril 1853. — Ed. etiam ap. Migne, P. L. t. CLXXXV. p. 1833.

(7) Mémoire sur un opuscule anonyme intitulé *Summaria brevis et compendiosa doctrina felicis expeditionis et abbreviationis guerrarum ac litium regni Francorum* (In *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, t. XVIII.

γ) Ad hanc historiam etiam speciatim pertinent duo opuscula quæ ipso illo tempore edidit Ægidius de Columna, a patria vulgo cognominatus Romanus, ordinis eremitarum S. Augustini. Qui a Philippo III, cognomento Audaci, in Franciam accitus, ad filium ipsius Philippum, qui fuit postea Philippus IV seu Pulcher, bonis litteris et moribus imbuendum, inde in Academia Parisiensi per plures annos philosophiam et theologiam summa cum laude docuit. Anno 1292, Romæ Prior Generalis sui ordinis renuntiatus est, quo munere post triennium sponte se abdicavit. Anno 1296, a Bonifacio VIII, satagente id etiam Philippo IV rege, Biturícensium archiepiscopus et Aquitaniæ primas constitutus est. Obiit Avenione 22 Decembris anno 1316, ætatis suæ 69. — Is igitur, præter alia multa philosophica et theologica (1), opusculum scripsit *De renunciatione Papæ* (2), quo abdicationem Cœlestini V et electionem Bonifacii VIII legitimam demonstraret, et alterum quod inscriptum est *Quæstio in utramque partem disputata de potestate regia et pontificia* (3), occasione dissidii inter Bonifacium et Philippum regem.

part. II. p. 435). — Memorare hic etiam juvat, ne quid omittamus ex hujus generis recens editis, instructionem quamdam notariis apostolicis tempore Bonifacii datam circa modum et quasi industrias quasdam adhibenda in scribendis litteris apostolicis, quo certius de earum authentia constaret. Hanc instructionem vulgavit v. cl. L. Delisle in Periodico *Bibliothèque de l'Ecole des Chartes*, IV^e^ Série, t. IV. p. 23.

(1) Cfr. Ossinger, *Bibliotheca Augustiniana*, p. 242 sqq.

(2) Ed. ap. Roccaberti, *Bibliotheca Pontificia*, t. II.

(3) Ed. ap. Goldast, *Monarchia S. Romani Imperii*, t. II.

92. III. Quoniam in Honorio III desinunt *Regesta RR. PP.* a JAFFÉ et POTTHAST concinnata (1), non abs re erit indicare ubinam reperiri possint posteriorum Pontificum epistolæ et acta hactenus edita. Hanc tamen indicationem ad finem sequentis paragraphi reservamus : eædem enim collectiones quoad utramque hanc ætatem memorandæ veniunt (2).

§ 6. De scriptis circa historiam RR. PP. sec. XIV et XV ineuntis.

93. Hac ultima paragrapho complectimur fontes circa historiam Pontificiam ab ineunte seculo XIV ad finem magni schismatis occidentalis seu a Benedicto XI (S. P. an. 1303) ad Martinum V († 1431). Circa quam

I. Quadruplex præcipue præ manibus est collectio generalis, videlicet AMALRICI AUGERII de Biterris, PETRARCHÆ sive auctoris ignoti qui sub ejus nomine latet, THEODORICI DE NIEM et Bartholomæi Sacchi PLATINÆ.

94. Et quidem ***a.*** De AMALRICO AUGERIO satis supra diximus (3), ut hic addere sufficiat ejus auctoritatem quoad vitas Benedicti XI, Clementis V et Joannis XXII (quæ solæ post Bonifacii VIII vitam in ejus collectione leguntur) eo esse majorem quo propiores fuerunt illi Pontifices auctoris ætati et is facilius ex testibus oculatis quidquid de eis narrat, rescire potuit.

(1) Cfr. supra pag. 68-69.
(2) Cfr. itaque infra N. 99.
(3) Cfr. supra N. 73 (pag. 263) et N. 83 (pag. 269).

95. ***b.*** Chronicon autem vitarum Pontificum et imperatorum italice conscriptum (1) et PETRARCHÆ († 1374) attributum (2), admodum exigua auctoritate apud eruditos gaudet et potius monumenti litterarii quam historici loco habetur.

96. ***c.*** Majoris momenti est Chronicon Pontificium a Nicolao IV ad Martinum V seu ab anno 1288 ad annum 1431, cujus auctor, ex adnotatione apposita in codice ms. unde editum est (3), censetur THEODORICUS DE NIEM in Westphalia, qui et ibidem litterarum apostolicarum (abbreviator) dicitur et canonicus Trajectensis, ac obiisse anno 1400 (4). Porro quum et quorumdam opusculorum ineunte seculo XV circa schisma, quo tunc Ecclesia affligebatur, conscriptorum (5) auctor etiam Theodoricus Niemensis legatur, qui se clericum Lucensis diœceseos profitetur et abbreviatorem littera-

(1) *Chronica delle vite de' pontefici ed imperadori Romani.* Veronæ 1476. fol. et sæpius postea. Ultimo Florent. (Genev.) 1625. 4.

(2) Perperam tamen, ut videtur. Cfr. TIRABOSCHI, *Storia della letteratura italiana* (Firenze 1805) t. V. p. 395.

(3) Ap. ECCARD, *Corp. hist. med. ævi,* t. I. p. 1461 sqq.

(4) Post vitam Innocentii VI († 1362) : « Finis Chronicæ Theoderici Nyem, » famosissimi literarum Apostolicarum et fundatoris Hospitalis Alimanio- » rum in Urbe, qui obiit et sepultus est Trajecti Leodicensis diœcesis in » Ecclesia sancti Gervasii in qua erat Canonicus anno domini MCCCC. » Ap. ECCARD, tom. cit. p. 1514.

(5) *Historiæ qua res durante perniciosissimo schismate inter Urbanum VI et Clementem antipapam eorumque successores gestæ* (an. 1378-1410) *exponuntur* seu *De Schismate libri IV.* Ed. Sim. SCHARDIUS. Basil. 1560 et 1566. fol. — *De necessitate reformationis ecclesiæ in capite et membris.* Editum et perperam attributum Petro de Alliaco ap. HARDT, *Concil. Constant.* t. I. part. 7. — *Historia et vita Johannis XXIII pontificis Romani.* Ed. ibid. t. II. part. 14. et ap. MEIBOM. *Scriptt. Rer. Germ.* t. I. p. 5.

rum apostolicarum sub Urbano VI (S. P. an. 1378-1389), atque *per septem lustra Romanam curiam sese secutum* gloriatur in opusculo quod edidit anno 1408 : quæstio hinc orta est utrum hic idem sit cum auctore Chronici an diversus. Hoc posterius probabilius censet Mansi (1) : et quidem ab eo haud facile dissentiet qui consideraverit quam moderate et reverenter loquatur auctor Chronici etiam de Pontificibus qui Avenione tempore schismatis sederunt et de Gregorio XII ac Joanne XXIII post eorum exauctorationem, quum tamen constanter ipse legitimis Pontificibus se addictum exhibeat; et contra quam mordaciter etiam legitimos Pontifices sugillet auctor opusculorum de schismate. Præterea in Chronico Verdensi (2) legitur Theodoricus Niemensis a Bonifacio IX (S. P. an. 1389-1404) creatus episcopus Verdensis, mox ad sedem Cameracensem fuisse translatus (attamen ejus nomen in catalogis antistitum Cameracensium non reperitur) : sed rursus utrum id ad nostrum scriptorem referendum sit, definiri non potest. — Quidquid sit de his, satis constat ex ipso Chronico eum fuisse sacerdotem, coævum et, quoad aliqua saltem, haberi posse ut testem domesticum (3). Præterea ubique, et speciatim in relatione electionis Urbani VI (4) accuratum se utique et

(1) In adnotatione ad RAYNALD. *Annal. Eccles.* an. 1364. n. 16 et in sua editione *Bibliothecæ latinæ* J. A. FABRICII, t. V. p. 137.

(2) Ap. LEIBNITIUM, *Scriptt. Rer. Brunswic.* t. II. p. 221.

(3) Etenim de se scribit ad annum 1364 : « Maii die tertia *reversus* fui » *Avinionem* prosecuturus litem contra capitulum Bunnense, eo quod me » a fructibus præbendæ meæ suspenderunt. » Ap. ECCARD, tom. cit. p. 1514.

(4) Ibid. p. 1516-1526.

disertum, non tamen sermone elegantem, narratorem exhibet.

97. *d.* Denique habentur Bartholomæi Sacchi, magis noti sub nomine PLATINÆ (a patria Piadena, vico ditionis Cremonensis), qui sub Pio II abbreviatoris litterarum apostolicarum, postea, ab anno scilicet 1475, Bibliothecæ Vaticanæ præfecti munere functus, obiit anno 1481, ætatis 61, *Vitæ Pontificum Romanorum* a S. Petro usque ad Paulum II († 1471), jussu Sixti IV conscriptæ. Quod opus etiam, quoad tempora auctoris ætati propiora, in magna existimatione habetur. Editum primum est Romæ, Venetiis, Basileæ et Coloniæ anno 1497 forma in-folio, et sæpissime postea tum latine, tum gallice, italice et germanice; a medio autem seculo XVI cum additionibus et notis Onuphrii PANVINII, Veronensis, ordinis Eremitarum S. Augustini.

98. II. Præter has collectiones, illius ætatis ad nos pervenerunt Vitæ *Clementis V* et *Joannis XXII*, quas debemus JOANNI Canonico Parisiensi S. VICTORIS († cca. 1350); *Joannis XXII, Benedicti XII* et *Clementis VI* conscriptæ a PETRO DE HERENTHALS, Priori Floreffensi (flor. cca. 1400), et aliæ quædam Pontificum Avenionensium, quæ diversos anonymos coætaneos auctores habuerunt. Has omnes, cum documentis non paucis ad historiam Pontificiam illius temporis pertinentibus, post Franc. BOSQUETUM (1) collegit et

(1) *Pontificum Romanorum qui e Gallia oriundi, in ea sederunt, historia ab anno Christi* 1305 *ad annum* 1394. Parisiis 1632. 8.

accuratius edidit St. Baluzius (1), et ex utroque Muratori (2).

99. III. Epistolas et alia acta Pontificum Romanorum post Honorium III (3) non pauca edita reperies, tum inter *Acta Conciliorum* (4); tum in libris Decretalium, Bullario et Codicibus diplomaticis S. Sedis (5); tum etiam apud Bzovium, Spondanum, Raynaldum, Annalium Ecclesiasticorum Baronii continuatores; tum denique apud Martene et Durand *Thesauri Novi Anecdotorum* tom. II et *Veterum Scriptorum amplissimæ Collectionis* tom. IX, apud Dacherium *Spicilegii* (Edit. II. fol.) tomm. I et III, inter Baluzii *Miscellanea* (Ed. Mansi), et apud Zaccaria, inter *Anecdota medii ævi*. — Speciem quamdam particularem illius generis exhibet tomus ex collectione *Documents inédits sur l'histoire de France*, cui titulus *Priviléges accordés à la couronne de France par le Saint-Siége* (6).

---

100. Denique ad complementum materiæ præsenti capite tractatæ indicasse juvabit duplicem collectionem

(1) *Vitæ Paparum Avenionensium, hoc est Historia Pontificum Romanorum qui in Gallia sederunt ab anno Christi MCCCV. usque ad annum MCCCXCIV.* Parisiis 1693. 2 vol. 4.

(2) *Scriptt. Rer. Ital.* t. III. part. II.

(3) Cfr. supra N. 92 (pag. 276).

(4) Cfr. supra Cap. I. N. 7 (pag. 72).

(5) Cfr. supra ibid. NN. 3, 4, 6.

(6) Quædam etiam reperies ex diversis scriptoribus collecta apud Papebrochium, *Conatus chron.-historic.* (in Propylæo Maii) part. II.

opusculorum circa auctoritatem S. Sedis sive antiquiori et medio ævo sive recentiori conscriptorum. Alteram edidit J. Th. DE ROCCABERTI : quæ inscripta est *Bibliotheca maxima pontificia, in qua auctores melioris notæ qui hactenus pro sancta Romana Sede, tum theologice cum canonice scripserunt, fere omnes continentur* (1). — Altera, adversus illam auctoritatem directa, confecta est a Melch. GOLDAST, cui titulus præfixus *Monarchia sancti Romani imperii, sive Tractatus de jurisdictione imperiali seu regia et pontificia seu papali, deque potestate imperatoris ac papæ a variis auctoribus scriptus* (2).

(1) Romæ 1695-1699. 21 vol. fol.

(2) Hanoviæ 1611. Francofurti 1668. 3 vol. fol. — Ejusdem generis antea edita fuerant Orthuini GRATII *Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum*. Coloniæ 1535. fol. Londini (cum appendice ed. BROWN) 1690. fol. Et Sim. SCHARDII *De jurisdictione, auctoritate et præeminentia imperiali ac potestate ecclesiastica variorum auctorum scripta*. Basil. 1566. fol. Argentorati (sub titulo *Sylloge historico-politico-ecclesiastica*, etc.) 1618. fol.

CAPUT IV.

DE DOCUMENTIS CIRCA HISTORIAM ECCLESIARUM PARTICULARIUM.

1. Documenta ista in quatuor classes facile distingui possent. Quarum prima complecteretur collectiones Conciliorum et statutorum ecclesiasticorum; secunda, collectiones diplomatum et instrumentorum omnis generis quæ hisce temporibus præsertim sub titulo *Cartulariorum* edi solitæ sunt; tertia, scripta circa historiam singularum ecclesiarum; quarta denique, collectiones vitarum Sanctorum ad singulas pertinentium. Verum, quod ad utramque hanc ultimam spectat, non solæ antiquiores lucubrationes, seu ante recentius ævum concinnatæ, loco fontium adhibendæ sunt : frequenter enim etiam in recentissime conscriptis primum consignatæ reperiuntur traditiones singularum ecclesiarum, vel per monumenta ex earum archivis eruta non pauca primum innotescunt. Præterea sæpe inter earum historiarum appendices primum eduntur multa diplomata in iisdem archivis reposita. Unde non ita dividitur secunda illa classis mox indicata, imo neque

prima, a tertia et quarta, ut qui ex inscriptione ad has pertinere videntur libri non ex aliqua sui parte ad unam e prioribus referendi sint. Denique nec omnino hic excludi possunt ii scriptores quibus res civiles potius quam ecclesiasticas attingere propositum erat : sæpissime enim utrumque id genus ita permixtum apparet, præsertim tempore medii ævi, ut unum sine altero commode tractari nequeat.

2. Igitur ita hic procedendum arbitrati sumus ut fontes ad particularium ecclesiarum historiam pertinentes et, quantum fieri potest, omnes indicentur, et simul vitentur confusio et repetita non sine fastidio eorumdem documentorum sub diversis titulis mentio. Quamobrem, singulas regiones quæ uno nomine designari solent, ac subinde (prout tulerit materiæ copia) quibusdam conjunctis, aliis vero in præcipuas suas partes ulterius distributis, ex ordine perlustrantes, primo recensere conabimur quæ circa illarum regionum ecclesias omnes vel multas hactenus editæ sunt documentorum collectiones (1), ad quodcumque demum genus ex quatuor illis supra indicatis ea pertineant, sed omissis quæ ad recentiorem tantum illarum historiam spectant; deinde (minoribus fere typis distincta), quæ præterea circa singularum ecclesiarum historiam præ manibus habemus.

(1) Ecclesiasticam scilicet historiam speciatim respicientes : nam indicationem earum quæ ad universam totius alicujus regionis historiam spectant, quales sunt Grævii et Burmanni, Muratorii et aliorum circa historiam Italiæ, Tractationi quartæ reservamus.

ARTICULUS I.

DOCUMENTA CIRCA ECCLESIAS ORIENTALES ET AFRICANAS.

3. Lequien (M.) *Oriens Christianus*. Paris. 1740. 3 vol. fol. — Neale (J. M.) *History of the Eastern Church*. London 1850. 4. — Morcelli (S. A.) *Africa Christiana*. Brixiæ 1817. 3 vol. 4. — Schelstraete (E.) *Ecclesia Africana*. Paris. 1679. Antv. 1679 et 1780. 4. — Leydecker (M.) *Historia ecclesiæ Africanæ*. Ultraj. 1690. 4. — Sanchez (I. A.) *Hist. eccl. Afric.* Matriti 1784. — Münter (C. C.) *Primordia eccles. Africanæ*. Hafniæ 1827. 4. — Rossi (J. B.) *De christianis titulis Carthaginiensibus* (*Spicileg. Solesm.* t. IV).

4. Boschius (P.) *De Patriarchis* **Antiochenis** (*Act. SS.* t. IV Jul. Præl.).

Papebrochius (D.) *De episcopis* **Hierosolymitanis** (*Act. SS.* t. III Maii Præl. Cfr. t. VII Maii p. 696-706). — Dositheus, *Historia patriarcharum Hieros.* (græce). Bucharest 1715. fol. — Poujoulat (B.) *Histoire de Jérusalem*. Paris 1841. 2 vol. 8. — Laorty Hadji, *Histoire de la Syrie et des lieux saints*. Paris 1855. 8.

Sollerius (J. B.) *De Patriarchis* **Alexandrinis** (*Act. SS.* t. V Jun. Præl.). — Vansleb (J. M.) *Histoire de l'église d'Alexandrie*. Paris 1677. 12. — Ludolfus (J.) *Liber sacrorum fastorum ecclesiæ Alexandrinæ*. Francof. 1691. fol. — Renaudot (E.) *Historia patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum*. Paris. 1713. 4.

Ludolfus (J.) *Historia* **Æthiopica**. Francof. 1691. fol. (Adjectus *Commentarius in Hist. Æth.*). — Urreta (L. de) *Historia ecclesiastica ... de la Etiopia*. Valentia 1610. 4. Lusitanice cum addit. A. Colasso. Evora 1611. 4. — Godigno (N.) *De rebus Abyssinorum*. Lugd. 1615. 8. — Wildt (J. U.) *Ecclesia Æthiopica breviter adumbrata*. Argentorati 1664. 4. — Dannhawer (J. C.) *Eccl. Æth. breviter adumbrata*. Argentorati 1672. 4. — Letronne (A. J.) *Maté-*

riaux pour l'histoire du christianisme en Egypte, en Nubie et en Abyssinie. Paris 1833. 4.

Cuper (G.) *De Patriarchis* **Constantinopolitanis** (*Act. SS.* t. I Aug. Præl.). — Cange (C. du) *Histoire de Const. sous les empereurs français*. Paris 1657. fol. 1829. 2 vol. 8 (Coll. Buchon). — Hergenröther (J.) *Photius*. Regensburg 1867. 2 vol. 8. — Muralt (E.) *Essai de Chronographie Byzantine*. Bâle 1871.

Galanus (C.) *Historia* **Armena**. Colon. 1686. 8. — *Histoire d'Arménie* du Patriarche Jean VI (sec. IX), trad. par J. Saint-Martin. Paris 1841. 8 (Armen. ed. J. Emin. Moscou 1853. 8). — *History of Armenia*, by M. Chamich, translated by J. Avdall. Calcutta 1827. 2 vol. 8 (Armen. Venet. 1784. 3 vol. 4). — Assemani (J. M.) *De Catholicis Chaldæorum et Nestorianorum*. Romæ 1775. 4. — Cfr. supra pag. 79.

Brosset (M. F.) *Histoire de la* **Géorgie**. Saint-Pétersbourg 1849-58. 3 vol. 4.

ARTICULUS II.

DOCUMENTA CIRCA ECCLESIAS ITALIÆ ET INSULARUM ADJACENTIUM.

5. Ughelli (F.) *Italia sacra*. Romæ 1643-62. 9 vol. fol. Ed. II aucta studio N. Coleti. Venet. 1717. 10 vol. fol. — *Italia sacra F. Ughellii restricta et aucta a* J. A. Lucentio. Romæ 1704. fol. — Cappelletti (J.) *Le chiese d'Italia*. Venet. 1844-71. 21 vol. 8.

Ferrarius (P.) *Catalogus Sanctorum Italiæ*. Mediol. 1613. 4. — *Hagiologicum Italicum*. Bassani 1773. 2 vol. 4.

6. Præterea circa ecclesias

Status Pontificii :

Æsii (Jesi). Baldassini (T.) *Notizie istor. di J.* Jesi 1703. fol. — Baldassini (H.) *Memorie istor. di J.* Villafranca 1765. 4.

Albani. Ricci (J.) *Mem. stor. di A.* Rom. 1787. 4.

Anagniæ. Magistris (A. de) *Storia di A.* Rom. 1789. 4.

Anconæ. Maroni (F. A.) *De eccl. et episc. A.* Rom. 1759. 4. — Peruzzi (A.) *Stor. di A.* Bol. 1847. — Colucci (J.) *Le antichità Picene.* Fermo 1786-97. 31 vol. fol.

Ariminii (Rimini). Ricciardelli (J. C.) *Synopsis episc. A.* Ar. 1704.

Asculi. Sebastiani (A. A.) *Historia A.* Patav. 1673. 4. — Marcucci (N.) *Saggio di cose A.* Teramo 1766.

Assisii. Spader (O.) *A. eccl. prima luminaria.* Fulg. 1715. 4. — Christofani (A.) *Stor. d'A.* Ass. 1866.

Auximi (Osimo). Maroni (F.) *De eccl. et episc. A.* Aux. 1762. 4. — Zaccaria (F. A.) *A. episc. series.* Aux. 1764. 4. — Compagnoni (P.) *Mem. della ch. e dei vesc. d'O.* (ed. Vecchiotti). Rom. 1783.

Balneoregii (Bagnorea). Artemi (P.) *Mem. stor. di B.* 1842.

Beneventi. Vipera (M. de) *Chronologia episc. B.* Neap. 1636. 4. Et *Catal. SS. eccl. B.* Neap. 1635. 4. — Sarnelli (P.) *Mem. de'vesc. di B.* Nap. 1691. 4. — Georgi (D.) *De origine metropolis eccl. B.* Rom. 1725. 4. — Vita (J.) *Thes. antiq. B.* Rom. 1754. 2 vol. fol. — Borgia (S.) *Mem. ist. di B.* Rom. 1763. 3 vol. 4.

Bononiæ. Sigonius (C.) *De episc. B.* Bon. 1586. 4. — Faleoni (C). *Memorie hist. della chiesa B. e suoi pastori.* 1649. 4. — Alidosi (P.) *Vesc. di B.* Bassano 1784. — Tomba (P.) *Serie dei vesc. di B.* Bol. 1787. — Amorini (S.) *Manuale stor. della archid. B.* 1857. — Melloni, *Atti e mem. degli uom. ill. in santità nati e morti in B.* Bol. 1773. — Savioli, *Annali B.* Bassano 1784. 3 vol. 4.

Cæsenæ. Zaccaria (F. A.) *Series episc. C.* Cæs. 1799. 4. — Manzoni (B.) *Chronologia C.* Pis. 1643. 4. — Braschi (J. B.) *Memoriæ C.* (ed. Testa). Rom. 1738. 4.

Camerini. Turchi (O.) *De eccl. C. pontif.* Rom. 1762. 4.

Civitatis Castri Plebis (Città della Pieve). Belletti (J.) *Notizie ist. di C. d. P.* Perug. 1830. — Baglioni (A.) *C. della P. illustrata.* Montefiascone 1845.

Comacli. Cavalieri (J. A.) *De C. episc.* Com. 1779. — Ferro (J. F.) *Storia di C.* Ferrara 1701. 4.

Eugubii (Gubbio). Lazarelli (G.) *Catal. episc. E.* Perus. 1651. — Sarti (M.) *De episc. E.* Pisauri 1755. 4. — Migliavacca (C.) *De E. sedis Urbinatis suffraganea.* Urb. 1727. — Jacobilli (L.) *Vite de' Santi e Beati dell' Umbria.* Foligno 1647. fol.

Fani. Gasparoli, *Series episc. Funensium.* — Amiani, *Mem. ist. di F.* Fano 1751. 2 vol. 4. — Milante (P. T.) *Stabiana eccl.* Neap. 1750. 4.

Faventiæ (Faënza). SCALETTA (C. C.) *Notizie della ch. di F.* Faënza 1726. 8. — STROCCHI (A.) *Mem. ist. del duomo di F.*; *Primordii della ch. di F.*; *Serie de' vesc. di F.* 1838-41. 3 vol. 8. — TONDUZZI, *Historie di F.* 1675. fol. — RICCI (B.) *Annali di F.* 1840. 2 vol. 8.

Ferentinam. ASSEMANI (J. S.) *De Sanctis F.* Rom. 1745. 4.

Feretri (Montefeltre). CONTARENI (J. B.) *De episcopatu F.* Venet. 1753.

Ferrariæ. BAROTTI (L.) *Serie de' vesc. di F.* 1781. — FERRANTI (J. M.) *Stor. di F.* 1808. 6 vol. — FRIZZI (A.) *Mem. per la st. di F.* Ed. II. 1847. 5 vol. 8. — CITADELLA (E. N.) *Notizie relative a F.* 1868.

Firmii (Fermo). CATALANI (M.) *De eccl. F.* 1777 et 1783. 4. Et *Origine e antichità F.* 1778. fol. — FRACASSETTI (G.) *Notizie st. di F.* 1841.

Foricornelii (Imola). *Catal. episc. I.* Faventiæ 1622. 4. — MANZONI (A. M.) *Episc. Corn. sive Im. hist.* Fav. 1719. 4. — ZACCARIA (F. A.) *Series episc. F.* Forocorn. 1820. 2 vol. 4. — BENACCI (G.) *Comp. della stor. d'I.* 1810. 4 vol. 8.

Fori Pompilii (Forlimpopoli). VECCHIAZZANI (M.) *Hist. di F.* Rimini 1647. 4.

Frosinonæ. MATTEI, *Mem. ist. di F.* Rom. 1816.

Fulginii (Foligno). JACOBILLI (L.) *Discorso della città di F.* 1646. 4.

Hortæ (Orte). FONTANINI (J.) *De antiquitatibus H.* Ed. III. Rom. 1723. — MAMACHI (T.) *De episcopatus H. antiquitate.* Rom. 1759. 4.

Montis Falisci (Montefiascone). ANGELIS (G. DE) *Sull' origine della città e chiesa di M.* 1841.

Nepesi (Nepi). NARDINI (N.) *La cattedra vesc. in N.* Rom. 1677. — RANGIASCHI (G.) *Mem. ist. di N.* Todi 1845.

Nuceria (Nocera). JACOBILLI (L.) *N. e sua diocesi.* Foligno 1653. 4. — VINCIOLI (H.) *Catal. de' vesc. di N.* 1730.

Ostiensem. Vid. **Velitern.**

Perusii. CIATTI (F.) *Mem. di P.* 1638. — VINCIOLI (H.) *Mem. di P.* 1730.

Pisauri (Pesaro). OLIVIERI, *Mem. per la st. della ch. P. nel sec. XIII.* 1779. 4.

Polymarcii (Bomarzo). VITTORI (L.) *Mem. sulla città di P.* Rom. 1846.

Prænestinam (Palestrina). SUARES (J. M.) *P. antiqua.* Rom. 1665. — PETRINI (P. A.) *Mem. P.* 1795. 4. — CECCONI (L.) *Storia di P.* Ascoli 1756.

Ravennæ. AGNELLUS seu ANDREAS, *Liber pontificalis sive vitæ Pont. Rav.* (P. L. t. CVI). — RUBEUS (H.) *Hist. R.* Venet. 1590. fol. — FABRI (G.) *Le sagre memorie di R.* Venez. 1664. — AMADESI (J. A.) *In antist. R. chronotaxin* (cum notis F. L. BERTOLDI et A. ZANNONI). Favent. 1783. 3 vol. 4. — FANTUZZI (M.) *Monumenta R.* Venet. 1801. 6 vol. 4. — *Codex traditionum eccl. R.* (Ed. BERNHART). Monachii 1810. 4. — QUAST (F.) *Die christl. Bauwerke von R.* Berlin 1842.

Reatinam (Rieti). MARONI (F. A.) *De eccl. et episc. R.* Rom. 1763. 4. — GALLETTI (P. L.) *Mem. di tre ant. chiese di R.* Rom. 1765. 8.

Recineti (Recanate). MONALDO LEOPARDI. *Ser. dei vesc. di R.* 1828.

Ripæ trans Asonem (Ripatransone). ATTI (A.) *I primi vesc. di R.* 1856.

Sabinæ. ALBANI (A.) *Acta eccl. S.* Urbini 1737. fol. — MARONI (F. A.) *De eccl. et episc. S.* Rom. 1754. 4. — SPERANDIO (F. P.) *S. sacra et profana.* Rom. 1790. 4.

Septempedanam (San Severino). GENTILI (J. C.) *De eccl. S.* Macerat. 1836.

Senogalliæ (Sinigaglia). SIENA (L.) *Stor. di S.* 1746. 4.

Setiæ (Sezze). CORRADINI (P. M.) *De civ. et eccl. S.* Rom. 1702. 4. — GEORGI (D.) *Hist. diplom. cathedræ episc. S.* Rom. 1751. 4.

Spoleti. LEONCILLI, *Ser. de' vesc. S.* (cum annot. SERAFINI). — CAMPELLO (B.) *Hist. di S.* 1672. 4.

Sutrii. BONDI (P.) *Mem. stor. di S.*

Terracinæ. CONTATORE (D. A.) *De hist. T.* Rom. 1706. 4.

Tiburtinam (Tivoli). CROCCHIANTE (G. C.) *Ist. delle chiese di T.* Rom. 1726. 4. — SANTE-VIOLGA, *St. di T.* Rom. 1819. 3 vol. 8.

Tiferni (Città di Castello). LAZARI (I.) *Serie de' vesc. di C. di C.* Foligno. 1693. 12. — MUZI (G.) *Mem. eccl. e civ. di C. di C.* 1842. 7 vol.

Tolentini. SANTINI (C.) *Mem. di T.* Macerat. 1789-91.

Tuderti (Todi). LEONI (L.) *Mem. stor. di T.* 1856-57.

Tusculi (Frascati). MATTEI (B.) *Mem. ist. di F.* Rom. 1711.

Urbini. LAZARI (I.) *Ser. de' vesc. di U.* — BALDI (B.) *Mem. di U.* Rom. 1724. fol.

Urbis Veteris (Orvieto). MARABOTTINI (F.) *Catalogus episc. U. V.* 1660. 4. — *Mem. ist. d'O.* Rom. 1758. — MONTEMARTE (F.) *Cronaca d'O.* (ap. PERTZ, *Monum. Germ.* t. XIX).

Veliternam. THEULI (B.) *Teatro ist. di V.* 1644. — BORGIA (A.) *Ist. della ch. et città di V.* Noceria. 1723. 4. — MARONI (F. A.) *De eccl. et episc. Ostiensibus et V.* Rom. 1766.

Viterbii. Coretino (P.) *De episcopis V.* 1640. 4. — Mariani (F.) *De Etruria metropoli. Acced. de episc. V.* Rom. 1728. 4. — Bussi (F.) *St. di V.* Rom. 1742. fol.

Vulsinii (Bolsena). Adami (A.) *Stor. di V.* Rom. 1737. 2 vol. 4.

7. Thusciæ et ditionum Mutinensis ac Parmensis (1) :

Dempster (T.) *De Etruria regali.* Florentiæ 1723. 2 vol. fol. — Ildephonsus a S. Aloysio, *Etruria sacra.* Florent. 1782. tom. I (unic.) fol. — Fiorentini (F. M.) *Hetruscæ pietatis origines.* Luccæ 1701. 4. — Forti (C. G.) *Catalogus agiologicus Etruscus.* Rom. 1731. 12.

Et circa ecclesias singulas :

Aretii (Arezzo). Burali (J.) *Vite de' vesc. A.* 1638. — Farulli (P.) *Annales A.* 1717. — Cittadini, *Stor. di A.* Firenze 1853. — Cfr. **Fæsul.**

Fæsularum (Fiesole). Ammirato (S.) *Vesc. di Fiesole, di Volterra e d'Arezzo.* Firenze 1637. 4.

Florentiæ (Firenze). Richa (G.) *Notizie ist. delle ch. F.* 1754. 10 vol. 4. — Lami (J. L.) *Eccl. F. monumenta.* 1758. 3 vol. fol. — Ceracchini, *Cronol. dei vesc. di F.* — Foggini (P. F.) *De prim. apostolis F.* 1740. 4. — Cienfogni et Moreni, *Mem. ist. dell' ambrosiana basilica di S. Lorenzo di F.* 1804-17. 3 vol. 4. — Giamboni, *Diario sacro di F.* 1700. — Francesconi, *F. sacra.* 1739. — Brocchi (J. M.) *Vite de' Santi e Beati F.* — Santoni (L.) *Guida sacra Fiorentina.*

Luccæ. Mansi (J. D.) *Diario sacro di L.* Venet. 1753. 8.

Montis Politiani (Montepulciano). Benci Spinello, *Stor. di M.* Florent. 1646. 4.

Mutinæ (Modena). Sillingardus (G.) *Catalogus episc. M.* 1606. 4. — Vedriani (L.) *Hist. di M.* 1666. 2 vol. Et *Catal. de' vesc. M.* 1669. 4.

(1) Circa harum ditionum historiam speciatim memorandum videtur quam multa documenta edita sint inter monumenta historica Italiæ in Tractatione sequenti indicanda.

15 Jun. SS. Viti et Soc. *Ex Gestis.*

18 Jun. SS. Marci et Marcelliani. *Ex Gestis S. Sebastiani.*

19 Jun. SS. Gervasii et Protasii. *Ex Ambrosio de inventione istorum.*

20 Jun. S. Silverii. *Ex Pontificali et Epistola Silverii ad Amatorem.*

(1) Prior indicatio præponitur lectioni quintæ, altera lectioni sextæ : utraque est de S. Marcellino. Nulla vero præponitur lectioni quartæ, quæ est de S. Cleto.

(2) Utraque indicatio rursus præponitur lectionibus quintæ et sextæ, in quibus agitur de S. Jacobo; nulla vero lectioni quartæ, ubi de S. Philippo.

22 Jun. S. Paulini. *Augustinus lib.* 1. *de Civitate Dei, cap.* 10. *et Gregor. libro* 3. *Dialogorum cap.* 2. *et* 3.
26 Jun. SS. Joannis et Pauli. *Ex Gestis per Terentianum.*
28 Jun. S. Leonis II. *Ex Pontificali.*

10 Jul. SS. Septem Fratrum. *Ex Gestis.*
11 Jul. S. Pii I. *De Consecrat. distinct.* 2.
13 Jul. S. Anacleti. *Ex Pontificali, Decretis Anacleti, et aliunde.*
14 Jul. S. Bonaventuræ. *Ex Scriptoribus de ejus vita, Tomo* 2. *opusculorum.*
17 Jul. S. Alexii. *Ex vita quam habet Metaphrastes.*
18 Jul. S. Symphorosæ et fil. *Ex Gestis.*
21 Jul. S. Praxedis. *Ex Gestis per Pastorem.*
25 Jul. S. Jacobi. *Ex Evangeliis, Actis, Eusebio Libro* 2. *cap.* 8. *Histor. Eccles.*
28 Jul. SS. Nazarii, Celsi. (Lect. IV.) *Ex Adone, et Ambrosio Serm.* 92.
Victoris et Innocentii. (Lect. V et VI.) *Ex Pontificali, et Eusebio Lib.* 5. *Histor. cap.* 22. *et* 23.
30 Jul. SS. Abdon et Sennen. *Ex Gestis S. Laurentii.*

2 Aug. S. Stephani P. *Ex Pontificali et Gestis.*
3 Aug. Invent. S. Stephani protom. (Lect. IV.) *Ex Luciano.*
4 Aug. S. Dominici. *Ex vita quam scripsit Joannes Garzo.*
6 Aug. Pro SS. Sixto et soc. (Lect. IX.) *Ex Gestis S. Laurentii et Pontificalibus.*
7 Aug. S. Donati. *Ex Gestis.*
8 Aug. SS. Cyriaci et Soc. *Ex Gestis Marcelli Papæ.*
11 Aug. Pro SS. Tiburtio et Susanna. *Ex Gestis SS. Sebastiani et Susannæ.*
12 Aug. Pro S. Clara. *Ex historia ad Alexandrum quartum scripta.*
13 Aug. Pro SS. Hippolyto et Cassiano. *Ex Gestis S. Laurentii.*
20 Aug. S. Bernardi. *Ex vita.*
25 Aug. S. Ludovici. *Ex vita per Clichtovæum.*
26 Aug. S. Zephyrini. *Ex Pontificali, Decretis, etc.*
28 Aug. S. Augustini. *Ex Possidonio Calamensi Episcopo.*
29 Aug. Pro S. Sabina. *Ex Martyrio apud Adonem.*
30 Aug. SS. Felicis et Adaucti. *Ex Martyrologio.*

8 Sept. Pro S. Adriano. *Ex Martyrio.*
9 Sept. Pro S. Gorgonio. *Ex Eusebio* 8. *Historiæ eccles. cap.* 6.

11 Sept. Pro SS. Proto et Hyacintho. *Ex Passione S. Eugeniæ.*
14 Sept. Exalt. S. Crucis. (Lect. IV.) *Ex historia Exaltationis S. Crucis.*
15 Sept. Pro S. Nicomede. *Ex Passione per S. Marcellum.*
16 Sept. SS. Cornelii et Cypriani. *Ex Damaso.*
Pro SS. Euphemia et Soc. *Ex Bedæ Martyrologio.*
22 Sept. SS. Mauritii et Soc. *Ex Eucherio Lugdunensi Episcopo.*
23 Sept. S. Lini. *Ex Damaso et Platina.*
26 Sept. SS. Cypriani et Justinæ. *Ex Passione.*
27 Sept. SS. Cosmæ et Damiani. *Ado in Martyrologio.*
30 Sept. S. Hieronymi. *Vitam primus ex ejus libris collegit Victorius.*

1 Oct. S. Remigii. *Ex Hincmaro Episcopo.*
4 Oct. S. Francisci. *Ex Bonaventura.*
7 Oct. S. Marci P. *Ex Damaso.*
9 Oct. SS. Dionysii et Soc. *Ex Hilduino.*
14 Oct. S. Calixti. *Ex Damaso potissimum.*
21 Oct. S. Hilarionis. *Ex Hieronymo.*
25 Oct. SS. Chrysanthi et Dariæ. *Ex gestis per Notarios Romanæ Ecclesiæ Armenium et Varinum.*
26 Oct. S. Evaristi. *Ex Damaso et Evaristi decretali* 1.
28 Oct. SS. Simonis et Judæ. *Ex Beda in Martyrologio.*

4 Nov. Pro SS. Vitale et Agricola. *Ex Ambrosii exhortatione ad virgines.*
8 Nov. Pro SS. Quatuor Coronatis. *Ex Martyrologiis.*
9 Nov. Pro S. Theodoro. *Ex Gestis.*
11 Nov. S. Martini Ep. *Ex Severo.*
Pro S. Menna. *Ex Beda in Martyrologio.*
12 Nov. S. Martini P. *Ex Libro Pontificali, Tomo 2. Conciliorum.*
17 Nov. S. Gregorii Thaum. *Ex Gregorio Nysseno, Ruffino libro 2. cap. 9. Historiæ Eccles.*
19 Nov. S. Pontiani. *Ex Damaso.*
22 Nov. S. Cæciliæ. *Ex Gestis.*
23 Nov. S. Clementis. *Potissimum ex Martyrio et Damaso.*
24 Nov. S. Chrysogoni. *Ex Gestis Anastasiæ.*
25 Nov. S. Catharinæ. *Eusebius lib. 7. cap. 26.*
26 Nov. S. Petri Alex. Ep. *Ex Eusebio libro 9. et Beda in Martyrologio.*

II. Altera species emendationum complectitur ea quæ in singulis legendis suppressa aut mutata sunt Quæ jam proferuntur in subjuncta tabella, cujus prior paginula ea exhibet quæ leguntur in Breviario Piano, altera vero quomodo in editione Clementina correcta sint (1).

6 Decembris. S. Nicolai.

Lectt. V et VI, pro *Myrea,*	Substituta est vox *Myra.*
Lect. V. med. *Ut eum eligerent qui Nicolaus nomine, postridie mane primus in ecclesiam ingrederetur.*	*Ut eum eligerent qui postridie mane primus in ecclesiam ingrederetur, Nicolaus nomine.*
Lect. VI. extr. *Anno salutis humanæ trecentesimo quadragesimo tertio.*	Illa verba suppressa sunt et eorum loco subjuncta hæc alia : *Ejus corpus Barium in Apulia translatum, ibidem summa celebritate ac veneratione colitur.*

7 Decembris. S. Ambrosii.

Lect. VI. init. *Gratiano Imp. occiso, ad Maximum ejus interfectorem, legatus profectus est.*	*Gratiano Imp. occiso, ad Maximum ejus interfectorem, legatus iterum profectus est.*
Ibid. extr. *Anno... trecentesimo octogesimo.*	*Anno... trecentesimo nonagesimo septimo.*

11 Decembris. S. Damasi.

Lect. IV. *Idem Ariminensem conventum condemnavit.*	*Idem Ariminensem conventum a Liberio jam ante rejectum, iterum condemnavit.*
Lect. VI. *Instituit ut in ecclesia psalmi ab alternis canerentur... et ut confessio missæ esset exordium. Ejus jussu sanctus Hieronymus divinæ scripturæ libros in latinum convertit. Cum Ecclesiam rexisset annos decem et octo, menses tres, dies undecim et habuisset ordinationes... quibus creavit presbyteros triginta duos.... obdormivit in Domino....*	*Statuit ut, quod pluribus jam locis erat in usu, psalmi per omnes ecclesias die noctuque ab alternis canerentur...* (Suppressa *et ut confessio,* etc.) *Ejus jussu S. Hieron. novum Testamentum græcæ fidei reddidit. Cum Ecclesiam rexisset annos decem et septem, menses duos, dies viginti sex et habuisset ordinationes... quibus creavit presb. triginta*

(1) In ea collatione etiam minutissima notavi, quo melius appareat totius emendationis ratio.

Ejus reliquiæ postea translatæ sunt in ecclesiam Sancti Laurentii in Damaso, quam idem Pontifex ad theatrum Pompeii construxerat.

unum.... obdorm. in Domino.... Illius reliquiæ postea transl. sunt in ecclesiam Sancti Laurentii, ab ejus nomine in Damaso vocatam.

13 Decembris. S. Luciæ.

Lect. IV... *Cum matre Eutitia....*

Cum matre Eutychia....

Lect. VI. extr. *Vigesimo Calendas Januarii....*

Idibus Decembris....

21 Decembris. S. Thomæ Ap.

Lect. IV. *Thomas... profectus est ad prædicandum Christi Evangelium Parthis, Medis, Persis, Brachmanis, Hyrcanis et Bactris.*

Suppressa est vox *Brachmanis.*

14 Januarii. S. Hilarii.

Lect. V. *Quadriennio post coacto concilio ad Seleuciam Isauriæ urbem, ubi disputaretur an Deo Patri filius consubstantialis esset, Constantius Hilarium ab exilio revocavit, maxime ob eam causam quod ei librum CPoli detulisset. Verum cum Ursacius et Valens... præsentis eruditionem pertimescerent.... Quare Seleuciensi concilio non interfuit : cujus tamen, et Ariminensis concilii, scripsit historiam.*

Quadriennio post coacto concilio ad Seleuciam Isauriæ urbem, Hilarius adesse compulsus est : ac deinde CPolim profectus, ubi extremum fidei periculum animadvertit, tribus libellis publice datis, audientiam Imperatoris poposcit, ut de fide cum adversariis coram disputaret. Verum cum Ursacius et Valens... præsentis eruditionem pertimescerent..., (Suppressa sententia *Quare Seleuciensi,* etc.)

Lect. VI. extr. *Anno.. trecentesimo septuagesimo tertio.*

Anno.. trecentesimo sexagesimo nono.

15 Januarii. S. Pauli Er.

Lect. IV. *Paulus... cum quindecim esset annorum, orbatus parentibus, declinandæ causa persecutionis....*

Paulus... cum quindecim esset annorum, orbatus parentibus est. Qui postea declinandæ causa persecutionis....

16 Januarii. S. Marcelli.

Lect. IV.... *Cujus hortatu duæ matronæ Romanæ, Priscilla cæ-*

.... *Cujus hortatu Lucina matrona Romana, bonorum suorum*

meterium suis sumptibus via Salaria ædificandum curavit, Lucina bonorum suorum Dei ecclesiam fecit heredem.... Maxentius, Lucina relegata, Marcello gravia supplicia minatur...

Dei ecclesiam fecit heredem.... Maxentius Marcello gravia supplicia minatur.

Lect. VI... *Ubi propter loci fœditatem, pedore confectus obdormivit in Domino.... Sedit annos quinque, menses sex, dies viginti unum.*

... Ubi loci fœditate multisque ærumnis afflictus obdormivit in Domino.... Sedit annos quinque, mensem unum, dies viginti quinque.

20 Januarii. SS. Fabiani et Sebastiani.

Lect. IV. *Eo Pontifice excitata est hæresis a Novato... Quamobrem Fabianus Romæ concilium coegit sexaginta episcoporum; ubi Novatus damnatus est : et una condemnatus est error Helchesetarum, qui affirmabant Christum in tormentis ore negari posse sine peccato, modo corde credatur. Denique... martyrio coronatus... cum sedisset annos quatuordecim, menses undecim, dies quindecim.*

Eo Pontifice in Africa excitata est hæresis a Novato... (Suppressa sententia *Quamobrem Fabianus*, etc.) *Denique... martyrio coronatus... cum sedisset annos quindecim, dies quatuor.*

21 Januarii. S. Agnetis.

In lectionibus legenda S. Agnetis, quæ desumpta indicatur ex Ambrosii Sermone 90.

Suppressa est, et ejus loco substituta quæ de illa virgine prædicat Ambrosius in libro I. *De virginibus*. Çeterum magna legendæ pars servata est in antiphonis et in responsoriis lectionum.

22 Januarii. SS. Vincentii et Anastasii.

Lect. V. med. *In craticula impositus, prunis ardentibus suppositis et ferreis unguibus excarnificatus, candentibusque laminis exustus...*

Ea verba inserta sunt superius in fine lectionis quartæ, ante *iterum ducitur in carcerem*, ubi etiamnum leguntur.

3 Februarii. S. Blasii.

Blasius, Sebaste in Cappadocia.... dum ab Agricolai præfecti militibus....

Blasius, Sebaste in Armenia.... dum ab Agricolai præsidis militibus....

5 Februarii. S. Agathæ.

Lect. IV. *Agatha virgo Catanæ in Sicilia nobilibus parentibus nata, cum pari pulchritudinis et castitatis laude commendaretur.... Aphrodisiæ cuidam infami mulieri....*

Agatha virgo in Sicilia nobilibus parentibus nata, quam Panormitani et Catanenses civem suam esse dicunt, in persecutione Decii Imperatoris Catanæ gloriosi martyrii coronam consecuta est. Nam cum pari.... Aphrod. cuidam mulieri....

6 Februarii. S. Dorotheæ.

Dorothea... ab Apricio præfecto comprehensa....

Dorothea... ab Apricio præside comprehensa....

9 Februarii. S. Apolloniæ.

... Alacris se in ignem sibi paratum injecit.... Quinto Idus Februarii.

Alacris in ignem sibi paratum, majori Spiritus sancti flamma intus accensa, se injecit.... (Suppressa *Quinto*, etc.)

15 Februarii. SS. Faustini et Jovitæ.

Faustinus et Jovita, Brixiani nobiles....

Faustinus et Jovita fratres, nobiles Brixiani....

7 Martii. S. Thomæ Aquinatis.

Lect. IV. init. (post verba *nobilibus parentibus natus*) *Aquino a Corrado imperatore vastato.*

Hæ voces suppressæ sunt.

9 Martii. SS. Quadraginta Martyrum.

Lect. IV. *Rege Licinio et Agricolao præfecto.... cum ipsorum ora fuissent contusa lapidibus, in stagnum gelidissimum conjecti sunt....*

Licinio Imperatore et Agricolao præside.... cum ora ipsorum lapidibus contusa fuissent, hiemis tempore frigidissimo nudi sub aperto aëre pernoctare jussi sunt, ut frigore congelati necarentur....

Lect. V. init. (post verba *luce circumfusos*) *et solutam glaciem.*

Hæ voces suppressæ sunt.

Ibid. extr. *Janitor... se Christia-*

Janitor... se Christianum esse

num esse clara voce professus, injecit in stagnum : postridie mane cum præfecti satellites janitorem quoque Christianum esse cognovissent, tractis omnibus ad littus, bacillis comminuta eorum crura fregerunt.

clara voce professus, martyribus se adjunxit. Cum vero præsidis satellites janitorem quoque Christianum esse cognovissent, bacillis comminuta omnium eorum crura fregerunt.

12 Martii. S. Gregorii M.

Lect. IV. med. *A Benedicto Pontifice Diaconus Cardinalis creatus : nec multo post a Pelagio Benedicti successore, CPolim... mittitur.*

Mox Diaconus Cardinalis creatus, CPolim a Pelagio Pontifice... mittitur.

Lect. VI. med. *Episcopos quinto quoque anno semel Romam venire jussit.*

Episcopos Siciliæ, qui ex antiqua consuetudine Romam singulis trienniis conveniebant, quinto quoque anno semel venire indulsit.

Ibid. extr. *Denique... Pontificatus anno decimo tertio ac mense sexto....*

Denique... Pontificatus anno decimo tertio, mense sexto, die decimo....

11 Aprilis. S. Leonis. M.

Lect. V. extr. *Ubi... Nestorius Eutychiusque condemnati sunt, et Dioscori fracta superbia.*

Ubi... Nestorius, Eutyches et Dioscorus hæretici condemnati sunt.

Lect. VI. extr. *Sedit in Pontificatu annos viginti unum, mensem unum, dies tredecim.*

Sedit in Pontificatu annos viginti, menses decem, dies viginti octo.

14 Aprilis. SS. Tiburtii, Valeriani et Maximi.

Lect. II. init. *Valerianus... Marco Aurelio Antonino Imperatore, hortatu beatæ Cæciliæ virginis et martyris, quam....*

Valerianus... Alexandro Severo Imperatore, hortatu beatæ Cæciliæ virginis, quam....

17 Aprilis. S. Aniceti.

Anicetus Syrus Imperatoribus Vero et Marco præfuit Ecclesiæ.... Ordinavit episcopos novem, presbyteros decem et septem, diaconos quatuor. Vixit in Pon-

Anicetus Syrus Imperatore Marco Aurelio Antonino præfuit Ecclesiæ... Ordinavit presbyteros decem et septem, diaconos quatuor, episcopos per diversa

tificatu annos undecim, menses quatuor....

loca novem (1). *Vixit in Pontificatu annos octo, menses octo, dies viginti quatuor....*

22 Aprilis. SS. Soteris et Caii.

Lect. IV. *Sother.... Sedit.. annos novem et menses tres : martyrio coronatur et in cœmeterio....*

Soter.... Sedit.. annos tres, menses undecim, dies decem et octo : martyrio coronatur sub Marco Aurelio Imperatore, et in cœmeterio....

Lect. V. *Caius....* [sedit] *annos undecim, menses quatuor, dies duodecim....*

Caius.... [sedit] *annos duodecim, menses quatuor, dies quinque...,*

26 Aprilis. SS. Cleti et Marcellini.

Lect. IV. *Cletus... de regione Vicopatritii....* [sedit] *annos duodecim, mensem unum, dies undecim.... Cessavit tunc Episcopatus dies viginti.*

Cletus... de regione quinta, e vico Patricio.... [sedit] *annos duodecim, menses septem, dies duos....* (Ultima verba suppressa sunt.)

Lect. V. *Marcellinus... tus adhibuit deorum simulacris : cujus peccati mox eum tantopere pœnituit ut Sinuessam ad concilium centum octoginta episcoporum venerit....*

Marcellinus... deorum simulacris thus adhibuit : cujus peccati mox illum tantopere pœnituit ut Sinuessam ad concilium plurimorum episcoporum venerit....

Lect. VI. extr. *Rexit Ecclesiam annos novem, menses duos, dies viginti sex.*

Rexit Ecclesiam annos septem, menses undecim, dies viginti tres.

2 Maii. S. Athanasii.

Lect. IV. *Athanasius... ab Alexandro .. presbyter factus est : in cujus locum successit, quem etiam antea diaconus secutus fuerat ad Nicænum concilium....*

Lect. IV. *Athanasius... ab Alexandro .. diaconus factus est : in cujus locum successit, quem etiam antea secutus fuerat ad Nicænum concilium....*

Lect. V. *Verum cum Arsenius,*

Lect. V. *Arsenium quoque epi-*

(1) Similis ordinis inversio, non mutatis numeris, reperitur in legendis SS. Soteris et Caii (22 April.), Urbani (25 Maii), Eleutherii (26 Maii), Felicis (30 Maii), Anacleti (13 Julii), Victoris (28 Julii), Stephani (2 Aug.), Callisti (14 Oct.), Pontiani (19 Nov.), Clementis (23 Nov.).

Athanasii lector, metu Domini apud Arianum quemdam latitaret; ecce adversarii manum mortui deferunt in judicium.... Quamobrem illorum et Imperatoris Constantii, Arianorum fautoris, iræ cedens, cum magnam partem orbis terrarum peragrasset, in sicca cisterna sex annos se abdidit, ejus rei tantum conscio quodam Athanasii amico, qui eum clam sustentabat. Sed aliquando decreto Hierosolymitani concilii, et Julii primi Pontificis maximi, Constantisque Imperatoris litteris, Ecclesiæ suæ restituitur.

Lect. VI. *Constante mortuo, sibi pertinaciter infestos Arianos fugiens, in Gallia apud Treviros exulavit. Inde reversus Alexandriam, cum a Juliani apostatæ satellitibus ad necem conquireretur,... ex industria occurrit : et quærentibus numquid de Athanasio sciret, respondit se non longe illum navi euntem vidisse : itaque illos... effugit. Qui paulo post....*

scopum ab Athanasio interfectum Ariani pervulgarunt : quem dum occulte detinent, manum mortui deferunt in judicium.... Quamobrem in exilium actus, in Gallia apud Treviros exulavit. Gravibus deinceps ac diuturnis sub Constantio Imperatore, Arianorum fautore, tempestatibus jactatus et incredibiles calamitates perpessus, magnam orbis terræ partem peragravit : ac sæpe e sua Ecclesia ejectus, sæpe etiam in eamdem et Julii Romani Pontificis auctoritate et Constantis Imperatoris, Constantii fratris, patrocinio, decretis quoque concilii Sardicensis ac Ierosolymitani, restitutus est; Arianis interea illi semper infestis : quorum pertinacem iram et summum vitæ discrimen fugiens, in sicca cisterna quinque annis se abdidit, ejus rei tantum conscio quodam Athanasii amico, qui eum clam sustentabat.

Lect. VI. *Constantio mortuo, cum Julianus apostata, qui ei in Imperio successit, exules episcopos ad suas Ecclesias redire permisisset, Athanasius Alexandriam reversus, summo honore exceptus est. Sed non multo post, iisdem Arianis impellentibus a Juliano exagitatus, rursus discedere cogitur. Cumque ab ejus satellitibus ad necem conquireretur, ... ex industria occurrit : et quærentibus quantum inde abesset Athanasius, respondit eum non longe abesse : itaque illos... effu-*

git, atque Alexandriam rediens, ibidem usque ad Juliani obitum occultus permansit. Qui paulo post....

3 Maii. SS. Alexandri et Sociorum.

Lect. IX. *Alexander Romanus Trajano Imperatore.... sedit annos decem, menses septem et dies duos.... Creatis... quinque episcopis, totidem presbyteris, et duobus diaconis.*

Alexander Romanus Hadriano Imperatore.... sedit annos decem, menses quinque et dies viginti.... Creatis... presbyteris sex, diaconis duobus, et episcopis per diversa loca quinque.

9 Maii. S. Gregorii Nazianzeni.

Lect. V. *Gregorius... primum Sasimorum, deinde Nazianzi episcopus creatus est.*

Gregorius... primum Sasimorum episcopus creatus est, deinde Nazianzenam Ecclesiam administravit.

Ibid. extr. *Quare Nazianzum rediit : quam Ecclesiam cum aliquot annos sanctissime gubernasset, ad extremum delecto successore, totum se ad contemplationem....*

Quare Nazianzum reversus, cum illi Ecclesiæ Eulalium præficiendum curasset, totum se ad contemplationem....

10 Maii. SS. Gordiani et Epimachi.

Gordianus judex, cum ad eum Januarius presbyter, ut condemnaretur, a Juliano apostata missus esset, ab eodem... Romæ baptizatur. Quare Julianus.. Gordianum ... includi jubet in carcerem....

Gordianus judex, cum ad eum Januarius presbyter, ut condemnaretur, sub Juliano apostata ductus esset, ab eodem... Romæ baptizatur. Quare Præfectus.. Gordianum .. includi jubet in carcerem....

12 Maii. SS. Nerei, Achillei (1) et Pancratii.

Lect. II. *Nereus et Achilleus, fratres eunuchi, in Pontiana insula cum Flavia Domitilla, quam ad Christum converterant ac virginitatem servare docuerant,*

Lect. IV. *Nereus et Achilleus fratres, eunuchi Flaviæ Domitillæ, a beato Petro una cum ipsa, ejusque matre Plautilla, baptizati, cum Domitillæ persuasis-*

(1) In Breviario Clementino adjectum est nomen Domitillæ, atque inserta Lect. V (festo ad ritum semiduplicem elevato) de ea.

propter Christi Domini fidem diu exulaverunt : quos Aurelianus, Domitillæ sponsus, quodab illa Jesu Christi amore succensa contemneretur, tamquam suasores primum verberibus acerbissime cædi jussit, deinde Moninio Rufo consulari tradidit. Qui cum illis gravius instaret ut simulacris deorum sacrificarent, fidenter negantes se, qui a S. Petro baptizati essent, adduci posse aut cogi ut dæmonum simulacra venerarentur, equuleo torti et candentibus laminis cruciati, securi percussi sunt.

Lect. III. *Horum corpora ab Auspicio, eorum discipulo Domitillæque educatore, in naviculam imposita et ad cryptam arenariam delata, ibi sepulta sunt in prædio Domitillæ via Ardeatina, secundo ab Urbe lapide, prope sepulcrum sanctæ Petronillæ, filiæ beati Petri. Eodem die, Dioclitiano Imperatore, Pancratius quatuordecim annos natus, virili virtute et præstanti in Christum fide, de tyranni et dæmonum immanitate, datis fortiter cervicibus, triumphavit. Cujus corpus...*

sent ut virginitatem suam Deo consecraret, ab ejus sponso Aureliano tamquam Christiani accusati, ob præclaram fidei confessionem in Pontianam insulam relegantur; ubi ad quæstionem iterum vocati et verberibus cæsi, moxæ Tarracinam perducti, a Minucio Rufo equuleo et flammis cruciati, cum constanter negarent se a sancto Petro Apostolo baptizatos, ullis tormentis cogi posse ut idolis immolarent, securi percussi sunt : quorum corpora ab Auspicio eorum discipulo et Domitillæ educatore, Romam delata, via Ardeatina sepulta sunt.

Lect. VI. *Pancratius, in Phrygia nobili genere natus, puer quatuordecim annorum Romam venit Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, ubi a Pontifice Romano baptizatus et in fide Christiana eruditus, ob eamdem paulo post comprehensus, cum diis sacrificare constanter renuisset, virili fortitudine datis cervicibus, illustrem martyrii coronam consecutus est : cujus corpus...*

19 Maii. S. Pudentianæ.

Potentiana.... ab Antonino Pio Imperatore....

Pudentiana.... ab Antonino Imperatore....

25 Maii. S. Urbani.

Urbanus Romanus, Aurelio Antonino Imperatore.... Sedit

Urbanus Romanus Alexandro Severo Imperatore.... Sedit an-

annos octo, menses undecim, dies duodecim.	*nos sex, menses septem, dies quatuor.*

26 Maii. S. Eleutherii.

....Vixit Eleutherius in Pontificatu annos quindecim, menses tres, dies duos.	*Vixit Eleutherius in Pontificatu annos quindecim, dies viginti tres.*

30 Maii. S. Felicis.

Felix.... vixit in Pontificatu annos quatuor, menses tres, dies quindecim.	*Felix.... vixit in Pontificatu annos duos, menses quatuor, dies viginti novem.*

31 Maii. S. Petronillæ.

Hujus Sanctæ legenda (1)	Tota suppressa est et substituta lectio de communi.

2 Junii. SS. Marcellini, Petri et Erasmi.

Lect. II. med. Ubi legebatur *accusat,*	Substituta est vox *objurgat.*
Lect. III. *Erasmus.... Deinde a Maximiano variis affectus suppliciis... illa etiam.. superavit; atque in Campaniam profectus, plurimis...*	*Erasmus.... Deinde Formiis a Maximiano variis affectus suppliciis... illa etiam.. superavit. Denique plurimis...*

9 Junii. SS. Primi et Feliciani.

Lect. II. *Primus et Felicianus fratres, accusati Christianæ reli-*	*Primus et Felicianus fratres, in persecutione Diocletiani et*

(1) Quæ concepta erat his verbis : *Ex S. Marcello de vita S. Petronillæ.* [Lect. II.] *Petronilla, sancti Petri filia, virgo forma corporis eximia, sed animi pulchritudine multo præstantior fuit : quæ ægrota cum esset, a beato Petro quæsitum est cur, qui alienos sanaret, filiæ suæ sanitatem non restitueret; respondit : quia sic expedit ei. Verumtamen, ut nemini de sua potestate dubitandi locum relinqueret, eam surgere jussit e lecto et convivis ministrare. Quæ paulo post in eumdem morbum recidens, ex eo cum aliquando convaluisset, ejus fama commotus, ne visam quidem Flaccus Comes adamavit; enixeque contendit, ut sibi daretur in matrimonium.* [Lect. III.] *Petronilla autem intelligens virginitati suæ, quam Jesu Christo dicarat, ab acerrimo humani generis hoste parari insidias, sumpto sibi tridui spatio ad deliberandum, totum illud tempus in jejuniis et oratione consumpsit, assidue petens a cœlesti sponso ne sancto proposito suo vim afferri pateretur. Itaque subvenit die tertio virgini Deus : nam eam divini sponsi amore flagrantem, ubi Eucharistiam sumpsisset, ad cœlestes nuptias evocavit. Cujus corpus in via Ardeatina sepultum, postea a Paulo primo pontifice in basilicam principis Apostolorum translatum est.*

gionis apud Dioclitianum et Maximianum....	*Maximiani accusati Christianæ religionis....*

11 Junii. S. Barnabæ.

Lect. IV. *Barnabas... cum Paulo in numerum Apostolorum adscriptus est....*	*Barnabas... cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus est....*

14 Junii. S. Basilii M.

Lect. IV. ante med. *Ita digressus a Gregorio, ad prædicandum....*	*Is ad prædicandum...:*
Lect. VI. med. *Primus duriorem illum antiquorum monachorum ritum ad meliorem formam redegit magisque religioni congruentem.*	*Monasteriis extructis, ita monachorum institutum temperavit ut solitariæ atque actuosæ vitæ utilitates præclare simul conjungeret.*

19 Junii. SS. Gervasii et Protasii.

Horum pater et mater dicebantur martyrium subiisse *in Neronis persecutione.*	Quæ voces suppressæ sunt.

20 Junii. S. Silverii.

Lect. III. extr. [Obiit] *cum menses decem et septem Ecclesiæ præfuisset.*	*Cum Ecclesiæ præfuisset annos tres et amplius.*

22 Junii. S. Paulini.

Lect. II. *Hujus viri charitas præcipue celebratur, quod vastata a Vandalis Campania.... Ab eo cum posceret vidua....*	*Hujus viri charitas præcipue celebratur, quod vastata a Gothis Campania.... Postea vero Wandalis easdem regiones infestantibus, cum ab eo posceret vidua....*
Lect. III. *Igitur in Africam ductus a domino... ejus hortum....*	*Igitur in Africam profectus, domini sui hortum....*

28 Junii. S. Leonis II.

Lect. IV. med. *Probavit acta sextæ Synodi, quæ CPoli celebrata est præsentibus legatis Apostolicæ Sedis, Constantino Imp... ac ducentis octoginta novem episcopis.*	*Probavit acta sextæ Synodi, quæ CPoli celebrata est præsidentibus legatis Apostolicæ Sedis, præsente quoque Constantino Imp... ac centum septuaginta episcopis.*

10 Julii. SS. Septem Fratrum, ac Rufinæ et Secundæ.

Lect. IV. ... *In persecutione Antonini Pii....*

... *In persecutione Marci Aurelii Antonini....*

Lect. V. post med. *In ardenti solo volutantur.*

In ardente balnei solio includuntur.

11 Julii. S. Pii I.

.. *Imp. M. Antonino Vero.... cum sedisset annos undecim, menses duos, dies viginti unum; et.. presbyteros novem... creasset.*

.. *Imp. Antonino Pio.... cum sedisset annos novem, menses quinque, dies viginti septem; et presbyteros decem et octo... creasset.*

13 Julii. S. Anacleti.

.. *Domitiano Imp.... Sedit annos novem, menses novem, dies decem.*

.. *Trajano Imp..... Sedit annos novem, menses tres, dies decem.*

17 Julii. S. Alexii.

Ultima verba *tota obstupescente ac lætitia perfusa civitate*

Suppressa sunt.

18 Julii. S. Symphorosæ cum septem filiis.

Lect. III. extr. *Condita sunt in ecclesia sancti Michaelis in foro piscario.*

Condita sunt in ecclesia sancti Angeli in piscina.

23 Julii. S. Apollinaris.

Lect. IV. .... *Captus ab idolorum sacerdotibus, præcipitatur in mare, unde ereptus est.... Mittitur in exilium.*

.... *Captus ab idolorum sacerdotibus graviter cæsus est.... Ejicitur in exilium.*

Lect. V. extr. *Ejicitur in exilium, ac tempestate delatus ad ripam Danubii, venit in Thraciam.*

Mittitur in exilium : ac facto naufragio venit in Mysiam, inde ad ripam Danubii, postea in Thraciam.

25 Julii. S. Jacobi.

Lect. V. ... *Plurimos, in quibus Hermogenem hæreticum, ad Christianam fidem convertit. Mox peragrata Hispania, ibique prædicato Evangelio, rediit Hierosolymam. Sed Claudio....*

... *Plurimos, in quibus Hermogenem magum, ad Christianam fidem perduxit. Mox Hispaniam adiisse, et ibi aliquos ad fidem convertisse, Ecclesiarum illius provinciæ traditio est : ex quo-*

rum numero septem postea episcopi a beato Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. Sed Claudio....

28 Julii. SS. Nazarii, Celsi, Victoris I et Innocentii I.

Lect. IV. med. *Mediolanum venientes, ibi primum Christi fidem disseminarunt : qui cum sanctis martyribus Gervasio et Protasio, in carcerem inclusis, inservirent, ab Anolino....*

Mediolanum venientes, cum ibi Christi fidem disseminarent, ab Anolino....

Lect. V. *Victor... Instituit ut sacrum Pascha die Dominico celebraretur.... Theodotum Coriarium Vicentinum.... Sedit annos decem, menses duos, dies decem.*

... Confirmavit decretum Pii primi, ut sacrum Pascha die Dominico celebraretur.... Theodotum Coriarium Byzantinum.... Sedit annos novem, mensem unum, dies viginti octo.

Lect. VI. ant. med. *Ejus* [Innocentii] *sanctitatem Basilius Magnus in suis epistolis ad eum scriptis admiratur.*

Hæc verba suppressa sunt.

Ibid. med. *Pelagio et Cœlestino damnatis.. decretum fecit... et ut sabbato.. jejunium servaretur. Sedit annos quindecim, menses duos, dies viginti... Creavit.. diaconos tredecim...*

Pelagio et Celestio damnatis.. decretum fecit... Probavit etiam ut sabbato.. jejunium servaretur. Sedit annos quindecim, mensem unum, dies decem... Creavit.. diaconos quindecim...

30 Julii. SS. Abdon et Sennen.

Abdon... apud Cordubam Persarum accusati....

Abdon... accusati.

1 Augusti. S. Petri ad Vincula.

Lect. IV. *Theodosio Imp. cum Eudoxia ejus uxor.... Eudoxia catenam pie venerata, eam postea Romam Pontifici maximo detulit...*

Theodosio juniore imperante, cun Eudocia ejus uxor.... Eudocia catenam pie venerata, eam postea Romam ad filiam Eudoxiam misit, quæ illam Pontifici maximo detulit...

Lect. VI. med. *Anno.. nongente-*

Anno.. nongentesimo sexage-

simo accidit ut quidam Comes, Othonis Imperatoris familiaris....

simo nono accidit ut quidam Comes, Othonis Imp. familiaris....

2 Augusti. S. Stephani I.

Lect. II. ante med. *Fuit vir doctrina et pietate singulari.*

Ea verba suppressa sunt, et addita ea quæ nunc leguntur circa baptisma hæreticorum.

Lect. III. extr. [Sedit] *annos septem, menses quinque, dies duos.*

[Sedit] *annos tres, menses tres, dies viginti duos.*

6 Augusti. Pro SS. Xysto II, Felicissimo et Agapito.

Lect. IX. .... *Una cum diaconis Felicissimo, Agapito, Januario, Magno, Innocentio, Stephano interfectus.... Sedit annos duos, menses decem, dies viginti...*

.... *Interfectus est una cum Felicissimo et Agapito diaconis, Januario, Magno, Vincentio et Stephano subdiaconis.... Sedit menses undecim, dies duodecim...*

7 Augusti. S. Donati.

Donatus, parentibus propter Jesu Christi fidem jussu Juliani Imp. interfectis.... Ubi cum a Quadratiano Augustali præfecto uterque....

Donatus, parentibus propter Jesu Christi fidem interfectis.... Ubi cum a Quadratiano præfecto in Juliani persecutione uterque....

12 Augusti. Pro S. Clara.

Lect. IX. ... *Ægra se ad portam oppidi afferri voluit....* [Obiit] *Innocentio quarto Summo Pontifice, qui ægrotanti virgini eucharistiam dedit...*

Ægra se ad portam afferri voluit.... [Obiit] *Innocentio quarto Summo Pontifice, qui ægrotantem virginem invisit, eique suppliciter petenti indulgentiam peccatorum impertivit.*

13 Augusti. Pro S. Hippolyto.

Lect. IX. ... *Ad Imperatorem adductus.... Valeriano judici occidendus traditur....*

Ad Valerianum Imperatorem adductus.... præfecto occidendus traditur.

20 Augusti. S. Bernardi.

Lect. IV. ... *Familiam Cisterciensis ordinis, qui tum sanctitate florebat, ingredi constituit.*

Monasterium Cisterciense, unde hic ordo incœpit et quod tunc sanctitate florebat, ingredi constituit.

Lect. V. .... *Romam profectus, sanctorum Vincentii et Anastasii monasterium extruxit, ei præficiens Abbatem illum...*

Romæ, sanctorum Vincentii et Anastasii monasterio, ab Innocentio secundo Papa restituto, præfecit Abbatem illum...

22 Augusti. Pro SS. Timotheo, Hippolyto et Symphoriano.

Lect. IX. .... *Apud Ostiam Tiberinam martyrio coronatus est Hippolytus presbyter. Quo in martyrio præsentes Christianos hortabatur, ut fidem quam a Petro et Paulo traditam et a ceteris deinceps sanctis patribus acceptam Romana coleret Ecclesia, constanter retinerent. Quo item die....*

Apud Ostia Tiberina Hippolytus episcopus Portuensis ob præclaram fidei confessionem manibus pedibusque ligatis in altam foveam præcipitatus, martyrio coronatus est, et ibidem a Christianis sepultus. Quo item die....

24 Augusti. S. Bartholomæi.

Lect. VI. *Ejus corpus.... postremo Romam ab Othone secundo Imp. Gregorio quinto Pontifice Maximo, portatum....*

Ejus corpus.... postremo Romam ab Othone tertio Imperatore portatum....

25 Augusti. S. Ludovici.

Lect. II. *Ludovicus quintus... cum vigesimum annum attingeret, in morbum incidit..... liber.. dimittitur; itaque Aconem profectus, in ea Agarenorum urbe multos ad Christi fidem convertit; præterea aliquot...*

Ludovicus nonus... cum jam vigesimum annum in regno ageret, in morbum incidit..... liber.. dimittitur. Quinque annis in Oriente commoratus, plurimos Christianos a barbarorum servitute redemit, multos etiam infideles ad Christi fidem convertit; præterea aliquot...

26 Augusti. S. Zephyrini.

[Sedit] *annos novem, menses septem, dies decem.* [Ordinationibus] *septem.. creavit.. presbyteros quatuordecim...*

[Sedit] *annos decem et octo, dies decem et octo.* [Ordinationibus] *quatuor.. creavit presbyteros tredecim...*

28 Augusti. S. Augustini.

Lect. IV. ... *Adolescens, alienus a Christiana religione, Mediolanum se contulit : ubi... circiter*

... Adolescens, dum esset Carthagine, in Manichæorum hæresim incidit. Postea Romam pro-

trigesimum annum agens.. baptizatur.

fectus, inde Mediolanum missus ut rhetoricam doceret... annos natus triginta tres.. baptizatur.

Lect. VI. extr. *Vixit annos septuaginta sex, in episcopatu ad quadraginta.*

Vixit annos septuaginta sex, in episcopatu ad triginta sex.

14 Septembris. Exaltat. S. Crucis.

Lect. VI. extr. *Itaque decretum est ut quotannis exaltationis crucis memoria celebraretur.*

Itaque Exaltationis S. Crucis solemnitas, quæ hac die quotannis celebrabatur, illustrior haberi cœpit ob ejus rei memoriam.

16 Septembris. SS. Cornelii et Cypriani.

Lect. IV. *Cornelius Romanus Decio Imperatore....*

Cornelius Romanus, Gallo et Volusiano Imperatoribus.... — Et bis deinde pro nomine Decii ponitur vox *Imperatores.*

Lect. V. extr. [Sedit] *annos duos, menses duos, dies tres. Fecit ordinationes duas mense Decembri, creavitque presbyteros quatuor, totidem diaconos, episcopos septem.*

[Sedit] *annos circiter duos.* — Cetera suppressa sunt.

21 Septembris. S. Matthæi.

Lect. V. extr. *Cujus corpus Gregorio septimo Summo Pontifice Salernum translatum, ibi magno hominum concursu ac pietate colitur.*

Cujus corpus Salernum translatum, ac postmodum in ecclesia ejus nomine dedicata Gregorio septimo Summo Pontifice conditum, ibidem magno...

23 Septembris. S. Lini.

.... Sedit annos undecim, menses tres, dies duodecim...

Sedit annos undecim, menses duos, dies viginti tres.

26 Septembris. SS. Cypriani et Justinæ.

Lect. II. *Cyprianus... cum Justinam.. quam ardenter amabat... ad suæ libidinis assensum allicere conaretur....*

Cyprianus... cum Justinam.. quam juvenis quidam ardenter amabat... ad ejus libidinis assensum allicere conaretur....

30 Septembris. S. Hieronymi.

Lect. IV. ... *Romæ puer est baptizatus....*

Romæ adolescens est baptizatus.

Lect. VI. med. *Vetus Testamentum, Damasi jussu, ex Hebræo, novum ex Græco convertit.*	*Vetus Testamentum ex Hebræo convertit: novum jussu Damasi Græcæ fidei reddidit.*

4 Octobris. S. Francisci.

Lect. V. med. *Romam venit anno salutis millesimo ducentesimo octavo.*	*Romam venit anno salutis millesimo ducentesimo nono.*

7 Octobris. S. Marci.

... Instituit ut episcopus Ostiensis... pallio uteretur et ut diebus solemnibus symbolum in missa clara voce caneretur.... Duobus annis, mensibus octo et diebus viginti, quibus vixit in Pontificatu, bis mense Decembri creavit episcopos octo, presbyteros viginti quinque, diaconos sex...	*Instituit ut episcopus Ostiensis... pallio uteretur .... Vixit in Pontificatu menses octo.* — Cetera hic citata, suppressa sunt.

9 Octobris. SS. Dionysii et Sociorum.

Lect. VI. init. *Dionysius nonagesimum annum agens....*	*Dionysius annum agens supra centesimum....*

14 Octobris. S. Callisti.

... Macrino et Heliogabalo Imperatoribus. Instituit quatuor anni tempora, quibus jejunium servaretur .... Sedit annos sex, menses duos, dies decem...	*... Heliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum servaretur.... Sedit annos quinque, mensem unum, dies duodecim.*

26 Octobris. S. Evaristi.

... Domitiano, Nerva et Trajano Imperatoribus.. Qui ... Septemque diaconos instituit qui episcopum... diligenter custodirent. Idem instituit ut matrimonium... Præfuit Ecclesiæ annos novem, menses decem, dies duos : episcopis quinque, presbyteris sex, diaconis duobus ter mense Decembri ordinatis...	*Trajano Imperatore.. Qui... et ordinavit ut septem diaconi episcopum custodirent... Idem constituit ex traditione Apostolica ut matrimonium... Præfuit Ecclesiæ annos novem, menses tres : presbyteris decem et septem, diaconis duobus, episcopis quindecim quater mense Decembri ordinatis.*

9 Novembris. SS. Tryphonis et Sociorum.

Init. *Tryphon.. Absadi in Saxonia J. C. fidem prædicans...*

Nomen illud loci suppressum est.

Extr. *Statua Tryphone orante concidit. Eo miraculo commota virgo quædam, cui nomen erat Nympha, Jesum Christum verum esse Deum clara voce testata est. Quare duo illi viri cum virgine plumbatis crudelissime contusi nobilissimum martyrium consecuti sunt quarto Idus Novembris.*

Statua Tryphone orante concidit. Quare plumbatis crudelissime contusi, nobilissimum martyrium consecuti sunt quarto Idus Novembris. Eodem die virgo quædam, cui nomen Nympha, cum J. C. verum esse Deum.. testaretur, martyrii palmam ad virginitatis coronam adjunxit.

11 Novembris. S. Martini Turon. Ep.

Lect. VI. fin. *Et sanctus etiam Ambrosius eodem tempore ad altare arctiori somno correptus ac post tertiam horam excitatus : Scitote, inquit, fratrem meum Martinum exisse de corpore, meque ejus funeri piam operam dedisse.*

Ea verba suppressa sunt.

Pro S. Menna.

Lect. IX. med. *Pyrrho præfecto.*

Pyrrho præside.

19 Novembris. S. Pontiani.

... Qui sanctum Pontificem... in Sardiniam pestilentem insulam cum Philippo presbytero relegavit.... Sedit annos quinque, menses quinque, dies duos.

Qui sanctum Pontificem... in Sardiniam insulam cum Hippolyto presbytero relegavit.... Sedit annos quatuor, menses quatuor, dies viginti quinque.

22 Novembris. S. Cæciliæ.

Lect. VI. med. *Illa... Commodo Imp... evolavit in cœlum.... Ejus et Urbani Papæ, Tiburtii... corpora...*

Illa... Alexandro Imp... evolavit in cœlum.... Ejus et Urbani ac Lucii Pontificum, Tiburtii... corpora...

23 Novembris. S. Clementis.

Lect. V. *Relegatus est in insulam Lyciæ in solitudinem urbis Cersonæ.*

Relegatus est trans mare Ponticum in solitudine urbis Chersonæ.

Lect. VI. .. *Trajanus misit in insulam qui Clementem.... Vixit in Pontificatu annos novem, menses duos, dies decem...*	*Trajanus misit illuc qui Clementem.... Vixit in Pontificatu annos novem, menses sex, dies sex.*

25 Novembris. S. Catharinæ.

Lect. IV. med. *Quæ cum Maxentii jussu...*	Substitutum est hic et deinde in aliis Lectionibus (quater) nomen *Maximini.*
Lect. V. med. *Nam quinquaginta philosophi, qui....*	*Nam plures philosophi, qui....*

26 Novembris. S. Petri Alexandrini Ep.

.... *Is primus Arium presbyterum... a fidelium communione sejunxit....*	*Is primus Arium diaconum... a fidelium communione sejunxit.*

§ 2. **Emendata jussu Urbani VIII in breviario Clementino** (1).

7 Decembris. S. Ambrosii.

Lect. VI. init. *Eumque* [Maximum] *pœnitentiam agere recusantem, a communionis consortio segregavit.*	*Eoque pœnitentiam agere recusante, se ab ejus communione semovit.*

20 Januarii. SS. Fabiani et Sebastiani.

Lect. IV. med. *Eo* [Fabiano] *Pontifice, in Africa excitata est hæresis a Novato contendente apostatas pœnitentes ab Ecclesia recipiendos non esse.*	Ea verba suppressa sunt.

27 Januarii. S. Joannis Chrys.

Lect. IV. extr. *Apud Eudoxiam etiam, quod eam propter ademptum Callitropæ viduæ agrum reprehendisset, graviter offendit.*	*Apud Eudoxiam etiam, quod eam propter Callitropæ viduæ pecuniam et alterius viduæ agrum reprehendisset, graviter offendit.*

1 Februarii. S. Ignatii.

Lect. VI. med. *Cumque jam*	*Cumque jam damnatus esset ad*

(1) Prior tabellæ paginula jam lectionem breviarii Clementini exhibet, altera emendatam ab Urbano VIII.

damnatus esset ad bestias et rugientes audiret leones, ardore patiendi ait : ...

bestias et, ardore patiendi, rugientes audiret leones, ait : ...

9 (10) Martii. SS. Quadraginta Martyrum.

Lect. IV. med. *Nudi sub aperto aëre pernoctare jussi sunt.*

Nudi sub aperto aëre supra stagnum rigens pernoctare jussi sunt.

11 Aprilis. S. Leonis M.

Lect. V. med. *Sed cum Ecclesiam a multis hæresibus oppugnari... videret, totum se ad eam purgandam et in fide catholica confirmandam contulit. Quare concilium Chalcedonense indixit, ubi... Nestorius, Eutyches et Dioscorus hæretici condemnati sunt.*

Sed cum Ecclesiam a multis hæresibus oppugnari... videret, ad eam purgandam et in fide catholica confirmandam, concilium Chalcedonense indixit. Ubi... Eutyches et Dioscorus, et iterum Nestorius condemnati sunt.

3 Maii. Pro S. Alexandro.

Lect. IX. med. *Martyrio coronatus est una cum Eventio presbytero et Theodulo diacono.*

Martyrio coronatus est una cum Eventio ac Theodulo presbyteris.

9 Maii. S. Gregorii Nazianzeni.

Lect. IV. med. *In quibus* [studiis] *se in cœnobio tredecim annos exercuerunt.*

In quibus se in cœnobio per aliquot annos exercuerunt.

15 Junii. SS. Viti et Sociorum.

Lect. II. med. ... *Ipsum* [Vitum] *Imperator accerseret ut filiam suam a dæmone vexatam liberaret : qua liberata, cum ei....*

... *Ipsum Imperator accerseret ut filium suum a dæmone vexatum liberaret : quo liberato, cum ei....*

25 Julii. S. Jacobi.

Lect. V. *Verum Jacobus post Jesu Christi ascensum in cœlum, in Judæa et Samaria prædicans ejus divinitatem, plurimos, in quibus Hermogenem magum, ad Christianam fidem perduxit. Mox Hispaniam adiisse et ibi aliquos ad fidem convertisse, Ecclesiarum illius provinciæ traditio est : ex*

Post Jesu Christi ascensum in cœlum, in Judæa et Samaria ejus divinitatem prædicans, plurimos ad Christianam fidem perduxit. Mox in Hispaniam profectus, ibi aliquos ad Christum convertit : ex quorum numero... directi sunt. Deinde Jerosolymam reversus, cum inter alios Hermogenem ma-

quorum numero... directi sunt. Sed Claudio Imp. Herodes ad regnum elatus, ut a Judæis gratiam iniret....

gum fidei veritate imbuisset, Herodes Agrippa, Claudio Imp. ad regnum elatus, ut a Judæis gratiam iniret....

3 Augusti. Invent. S. Stephani.

Lect. V. post med. *Sacra autem corpora summa celebritate in sanctam ecclesiam Sion illata sunt. Et sub Theodosio juniore corpus sancti Stephani CPolim...*

Sacrum autem sancti Stephani corpus, quod summa tunc celebritate in sanctam ecclesiam Sion illatum est, sub Theodosio juniore CPolim...

12 Augusti. S. Claræ.

Lectioni IX de ea Sancta, ejus festo ex ritu simplici

Ad ritum duplicem evecto, substitutæ sunt in secundo Nocturno tres lectiones prolixiores; nihil tamen in legenda immutatum est, nisi quod jam non ita expresse memoratur Innocentius IV eam ultimo ægrotantem invisisse.

16 Septembris. Pro SS. Euphemia et Sociis.

Lect. IX. ... *Euphemia... demum leonibus objecta dilaniatur.*

Euphemia... demum bestiis objecta, una ex iis morsum sancto corpori infigente, ceteris pedes ejus lambentibus, immaculatum spiritum Deo reddidit.

4 Octobris. S. Francisci.

Lect. VI. init. ... *Ubi quadraginta diebus... in jejunio et oratione consumptis....*

Ubi quadraginta dierum... jejunio inchoato....

APPENDIX D. (1)

CATALOGUS LIBERIANUS ET EORTOLOGIUM ROMANUM SEC. IV. (2)

I. Catalogus Liberianus.

Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster Jesus Christus duobus Geminis cons. [*p. Chr.* 29] VIII kl. Apr. et post ascensum ejus beatissimus Petrus episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis episcopus quot annis prefuit vel quo imperante.

Petrus ann. XXV mens. uno d. IX. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris et Gai et Tiberi Claudi et Neronis, a cons. Minuci [al. Vinicii] et Longini [*p. Chr.* 30] usque Nerine et Vero (3) [55]. Passus autem cum Paulo die III kl. Julias cons. s̄s̄. imperante Nerone.

Linus ann. XII m. IIII d. XII. Fuit temporibus Neronis, a consulatu Saturnini et Scipionis [56] usque Capitone et Rufo [67].

Clemens ann. IX m. XI dies XII. Fuit temporibus Galbe et Vespasiani, a cons. Tracali et Italici [68] usque Vespasiano VI et Tito [76].

Cletus ann. VI m. duo dies X. Fuit temporibus Vespasiani et Titi et initio Domitiani, a cons. Vespasiano VIII et Domitiano V [77] usque Domitiano IX et Rufo [83].

Anaclitus ann. XII m. X d. III. Fuit temporibus Domitiani, a cons. Domitiano X et Sabino [84] usque Domitiano XVII et Clemente [95].

Aristus annos XIII m. VII d. duos. Fuit temporibus novissimis

(1) Cfr. supra pag. 483. not. 1.

(2) Ex editione Mommsen, *Ueber den Chronographen vom Jahre* 354, pp. 634, 631. — Cfr. P. L. t. XIII. pp. 447, 464.

(3) Omnino legendum esse Nerone et Vetere, qui scilicet consules fuerunt an. 55, constat ex eo quod a) exordio Pontificatus constituto sub consulatu Vinicii et Longini, annus abhinc vigesimus quintus incidit in consulatum Neronis et Veteris; b) in fastis consularibus qui inter documenta Filocaliana præmittuntur huic catalogo, ad consulatum Neronis et Veteris indicantur « his cons. passi petrus et paulus III kal. Julii. »

Domitiani et Nervæ et Trajani, a cons. Valentis et Veri [96] usque Gallo et Bradua [108].

Alexander ann. VII m. II d. uno. Fuit temporibus Trajani a cons. Palmæ et Tulli [109] usque Veliano [Aeliano] et Vetere [116].

Sixtus ann. X m. III d. XXI. Fuit temporibus Adriani a cons. Nigri et Aproniani [117] usque Vero III et Ambibulo [126].

Telesforus annos XI m. III d. III. Fuit temporibus Antonini Macrini a cons. Titiani et Gallicani [127] usque Cæsare et Albino [137].

Higinus ann. XII m. III d. VI. Fuit temporibus Veri [*et Marci a cons. Magni et Camerini* (138) *usque Orfito et Prisco* (149).

Anicitus ann..... Fuit temporibus Severi et Marci (1)] a cons. Gallicani et Veteris [150] usque Presente et Rufino [153].

